BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
E
38

Digitized by Google

Digitized by Google

111
2
14

Digitized by Google

DISSERTATIO

THEOLOGICO-DOGMATICA

DE INFALLIBILITATE
SUMMI PONTIFICIS

IN REBUS FIDEI DEFINIENDIS

AUCTORE

JOSEPHO-CHANTRE HERRERA

HISPANO

IN REGIO S. PETRI PLACENTINO CONVICTU

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE.

ACCEDUNT

THESES DE FIDE, SPE, ET CHARITATE

QUAS

IN HOC PRIMO ERECTI CONVICTUS ANNO

DICTAVIT IPSE, ET EXPLANAVIT

POMERIDIANO TEMPORE.

PARMÆ

TYPIS PHILIPPI CARMIGNANI

M. DCC. XCIV.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

FERDINANDO I. BORBONIO

REGIO HISPANIARUM INFANTI

PARMÆ, PLACENTIÆ, VASTALLÆ DUCI

&c. &c. &c.

JOSEPHUS CHANTRE.

Cum mihi tradendæ Theologiæ Dogmaticæ in hoc Regio S. Petri Placentino Convictu Tui gratia, GLORIOSISSIME PRINCEPS, destinata provincia est, illico subivit animum cogitatio tractandi de Fide, iis ut erroribus, qui per multas etiam Italiæ partes ex perniciosa librorum lectione grassantur, Fidei principia, & consecutiones opponerem, quibus

Digitized by Google

falsas esse monstrarem bene multas non recte philosophantium opiniones ex nimia certe in opinando libertate profectas. Et cum serio animum adverterem ad explorandum, quænam ex opinionibus illis, quæ inter Catholicos tolerari utcumque solent in argumento de Fide, esset id temporis periculosior, Hæreticis gratior, & Novatoribus jucundior, id mihi post considerationem non ita diuturnam invenisse videor, aliam esse non posse opinionem majoribus obnoxiam periculis, & Religionis nostræ osoribus faventem magis, magisque illorum accommodatam finibus, quam si Summo Pontifici ex Cathedra loquenti errationem affingas. Unde dicet fortasse quisquam, non alibi ortum habere debuisse talem dicendi rationem, & per dubiæ fidei homines ad insaniam usque propagari, quam in illo olim florentissimo Regno, viris quidem litteratis refertissimo, sed in quo tamen, rebus omnibus susque deque versis, omnis esset Suprema Auctoritas deneganda, proterenda, exterminanda, ejusque substituenda loco Æqualitas, & Libertas nihil sane veri significantia nomina. Nec jam mirum videbitur ulli, si ubi Regia est Auctoritas interdicta, & Dei Optimi Maximi abnegata Potestas, ibi Dei Vicarii sit aliquot ante annos Auctoritas impetita. Quod tamen non eo dixerim, quod existimem, eam opinandi rationem potiorem Galliæ partem melius sentientem, & potissimum Clerum venerandum post se traxisse; sed quod ibi semel exorta, diuturni schis-

Digitized by Google

matis aucta procellis; & non libera quadam, ac subreptitia Cleri declaratione ad specimen firmata, ita demum nonnullos levioris animi Gallos, omnes in Fide dubios, & Apostolicæ Sedis osores superbia tumidos occupavit, ut jam tandem tanquam peculiaris Gallici Regni protenderetur opinio. Hanc ego convellere, qua possim, ope, & ratione contendo, non quasi Gentem Gallam universim accusans, aut perillustrem reprehendens Clerum, cum illam potius absolvam, & hunc totis defendam nervis, iis in medium productis monumentis, queis refragari nemo unus possit, si rectum ipse judicium sequatur.

Ex his jam facile agnosces, RELIGIOSISSIME PRINCEPS, cur hanc meam Dissertationem in hoc tuo recenti S. Petri Placentino Convictu evulgandam decreverim, & cur Tibi ad thronum excelsum provolutus duxerim inscribendam. Agrum ipsi tuum, quo possumus, studio colimus, non parum certe soliciti, ut pareant arva colono, & ut Vates hic Lusitanus tuæ memor gratiæ canebat:

Gleba tua est, tibi debetur cum fructibus arbor.

Nec enim tantum debentur Domino antiqui, & excultissimi agri fructus jam dulces, & maturiores, sed ei quoque jure suo cedunt, quos exserere plerumque solet annicula vitis, botri, & racemi non omnino maturi. Quod eo libentius Tibi, GENEROSE PRINCEPS, quod tuum est, reddo, quo magis redundat hoc meum obsequium qualecumque (debitum rectius dixerim) in Catholicum Serenis-

Digitized by Google

simum Regem; quem mihi Natura genio indulgens Dominum dedit, & quocum non sine Supremi providentia Numinis arctissimum jam a Farnesiano sanguine vinculum felicissime conjunxit. Par est enim, quibus Religionis tuendæ, & asserendæ Fidei communis est ardor, eos inter se astrictis conjungi vinculis, & copulari. Et en altera hujus meæ deliberationis congruentissima ratio. Assertorem esse Te vigilantissimum Catholicæ Religionis, & Pontificiæ Dignitatis, cujus apprime nosti privilegia singularia, Promotorem assiduum suspiciunt omnes, & Te Principem vere Catholicum appellant; sed qui Te propius spectant, non solum eximiam Pietatem, Fidem, & Religionem intuentur, sed has etiam virtutes plane vident in animo excelso residere, veri, justi, rectique tenacissimo. Unde cum reliquos laudent Principes jus suum in externa subditorum acta pro data sibi potestate exercentes, Te vero læti conspiciunt in ipsorum cordibus gloriosius dominari. Atque hinc mihi datur causa credendi, fore ut non ingratum accidat huic tuæ, & nostræ conspicuæ Urbi Placentinæ, si hæc Theologica Dissertatio in sacris studiis utilissima, tamquam STUDIORUM, quæ olim ipsa commendavit, PRIMITIÆ, amabilissimo suo placitura Principi nuncupetur.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Cum tres ego Dogmaticæ Disciplinæ Tractatus de Fide, Spe, & Charitate in hisce primis Prælectionibus annuis tradere decrevissem, parce admodum, & sobrie, ut mei exigebat instituti ratio, Summi Pontificis infallibilitatem in meis codicibus adumbraveram, communia indicans Scripturæ loca, Traditionem constantem, universalem Consensionem, cæteraque momenta theologica, quibus ut hactenus minime responsum est in tot, & tantis elucubrationibus ea de causa confictis, sic etiam non esse unquam feliciter respondendum certo sciebam. Enimvero timebam, ne, si rem unica ferme distentus controversia fusiori calamo tractarem, ea deberem prætermittere, quæ de Spe, & Charitate paucis multa complectens quodammodo paraveram. Fractus tamen amicorum precibus plura de infallibilitate postulantium, nonnulla adjunxi, quæ visa sunt opportuna ad celebrem enervandam Cleri Gallicani Declarationem anno factam millesimo sexcentesimo octogesimo secundo, nec vero desperans, dictari adhuc illa in schola posse sine ullo rerum deinceps tractandarum detrimento. Sed cum viderem, ne sic quidem satis esse cumulate factum amicis, & plura me relinquere quasi incepta, quæ ampliorem dicendi rationem postulabant, eo tandem animum appuli, ut conscriberem typis edendam Dissertationem, quæ licet tanta non esset, quanta merito causæ deberetur, magnis ultro, citroque discussæ voluminibus,

Digitized by Google

esset tamen opportuna coercendis iis, qui Natione, ut dicunt, litteratissima se tuentes videri volunt in aggrediendo fortes, & in oppugnando constantes. Porro Nationis Gallicæ doctrinam, & auctoritatem minime respuo, quin & illam libens admitto, & ea ipsa, ut arbitror, Summi Pontificis in rebus Fidei inerrantiam magis, ac magis firmari evidenter ostendam. Id mihi negotii crediderim perficiendum, si demonstraverim, sententiam toti Orbi Catholico certissimam de infallibilitate Successoris Petri fuisse antiquiorem in Ecclesia Gallicana, & in Academia Parisiensi magis universalem, fuisse item, & esse apud Gallos magis liberam, & unice cohærentem, iis retentis principiis, quæ Gallia Catholica semper tenuit. Nec operæ pretium exiguum erit, si hæc ab inerrantiæ impugnatoribus Gallorum tollatur auctoritas. Nam ex ingentibus, quæ contra Pontificiam infallibilitatem conscripta sunt, operibus vix quidquam extundi potest præter auctoritatem quadragintaquatuor Episcoporum non-libere certe judicantium, quæ longe majori Præsulum, Theologorum, & Sapientum ejusdem Regni ponderi, & auctoritati apud recti, justique amantem judicem cedere, ut vides, sine dubio debet.

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid sit ex Cathedra Pontificem definire.

Ut a Dissertationis initio multa inutilia, non pauca inania, & pleraque inopportuna, quæ de Pontificum lapsibus, gestis, litteris, & responsis hinc, & inde parum feliciter corraduntur, uno quasi ictu præcidam, quid sit Pastorem Ecclesiæ quidquam ex Cathedra definire credendum, præmittere oportet, ac verbis minime dubiis explicare. Porro tunc Pontifex ex Cathedra loqui censetur ex communi Doctorum sententia, cum post maturam deliberationem, & discussionem exactam circa rem ad Fidem, aut mores pertinentem decretum edit pro universali Ecclesia, ut ejus Caput, Magister, & Pastor, quod ab omnibus fidelibus vult indubitanter admitti, & observari, sic ut qui aliter sentiat, ac credat, eum a Catholica, seu Romana Fide abesse declaret, separans illum a communione fidelium, a Fidei resecans unitate, & anathemate percellens hæreseos, alteriusque æquivalentis censuræ. Ubi vides non sufficere ad definitionem ex Cathedra simplicia Summorum Pontificum decreta, quæ ad Fidei definitionem non pertinent, non canones quosdam, seu textus, qui de præceptis particularibus loquuntur, non judicia de personis tantum, non disciplinæ decreta, quæ Fidei materiam non faciunt, non tandem omissiones definitionum Fidei, quæ si omittuntur, cum esset, inspectis omnibus, definiendum, ut immunes non sunt ab omissionis culpa, sic errores non sunt definitionis dogmaticæ, vel definitiones erroneæ.

Notum est omnibus, Pontifices Summos ad Petri Cathedram assumptos non exuere naturam humanam, nec humanam agendi, judicandi, & opinandi rationem deponere, multaque agere, disponere, & statuere teneri ex prudentiæ regulis, quæ tamen ex varietate locorum, circumstan-

Digitized by Google

tiarum, & temporum judicium esse mutandum, si honestatis requiras medium, præscribunt. Ad has prudentiæ regulas, quæ materiam non semper iisdem affectam adjunctis speculatur, revocanda sunt pleraque rescripta Pontificum non solum circa personas, & judicia particularia, sed etiam circa responsa in dubiis ad casus practicos pertinentibus. Pulchre Melchior Canus lib. 6. de loc. cap. 8. inquit: *respondent sæpe Pontifices ad privatas hujus, aut illius Episcopi quæstiones suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum*. Nec minus vere docet Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 14.: *Multa esse in Epistolis Decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de Fide, sed solum opiniones Pontificum ea in re nobis declarant*. Et Innocentius III. in cap. *A Nobis, de Sent. excommun.* de judiciis agens circa personas, verissime dicit: *judicium Dei veritate, quæ non fallit, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli*. Neque id negat magnus ille Bossuetius (vel quisquis sit auctor Defensionis Declarationis Cleri Gallicani), qui fallibilitatis Pontificiæ vane jactatur a quibusdam Gallis columna, & fundamentum. Nam in laudato opere tom. 2. nov. edit. pag. 271. hæc duo ad Fidei Pontificiam definitionem requiruntur: *alterum, ut res ad Fidei, & morum essentiam pertineat, idque per se, & proxime; alterum, ut expressum sit, id de Fide credendum*. Et tamen ut Logicam mireris Adversariorum, centena coacervantur in illo opere Pontificum gesta, responsa, lapsus, & dicta alio certe spectantia, & sine obligatione credendi, ut Pontificis errantia confirmetur in definitionibus Fidei. Præterea ut Pontifex loquatur ex Cathedra, debet examen rei debitum, & maturam consultationem præmittere; nec enim temere definire potest ut Caput Ecclesiæ, & Magister universalis fidelium, eos adigens ad credendum Fide divina. Unde Suarez disput. 5. de Fide sect. ult. statuit: *aliquam sine dubio esse necessariam* (discussionem ad definiendum), *quia Deus non vult, ut homines temere judicent, & gubernent: quanta vero futura sit, nullo jure saltem divino definitum*

est, sed prudentiæ ipsius Pontificis relinquitur. In eumdem sensum Bellarm. lib. cit. de Rom. Pontif. cap. 7. recte notat, quod etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana, & ordinaria, quibus deveniri potest in veram rei cognitionem, de qua agitur: medium autem ordinarium est Concilium majus, aut minus pro magnitudine, vel parvitate rei, de qua agitur. Id quod patet primo exemplo Apostolorum: nam certe tam Petrus, quam Paulus poterant etiam soli quamlibet controversiam infallibiliter definire, & tamen Concilium convocarunt: act. 15. Addit etiam eruditissimus Ballerinius cap. 15. de vi, & prim. Rom. Pontif. num. 24., quod Fidei definitiones Pontificiæ debeant esse actus plane liberi, & voluntarii; nam siquæ verba Fidei contraria vi exteriori, seu metu extorquerentur ab invito, culpam quidem involverent, at Fidei definitionem non continerent, cum manifesta vis, seu metus satis patefaceret, illa verba non exprimere veram ipsius sententiam, qui sic adigeretur ad dicendum quod ipse interius nec crederet, nec sentiret. Qua ex causa actus metu extorti jure ipso nulli judicantur.

Majus aliquid intendere mihi videtur Ruardus Taperus, qui orat. 3. contra Philippum Melanctonem de Judic. controv. num. 8. statuit quidem, & nervose probat Pontificiam infallibilitatem; at negat Papam ex Cathedra loqui, nisi cum sincere veritatem inquirit, & consilium adhibet pro qualitate rei, super qua veritas inquiritur. Si autem, inquit, leviter, aut præcipitanter, aut non amore veritatis inveniendæ, sed ex affectu potius, aut ex odio procedere contingeret in damnandis erroribus, falli, & fallere posset. Ejus ratio est, quia supponunt Evangelicæ promissiones Cathedræ Petri factæ diligentem veritatis inquisitionem, nihilque omitti, quod humanitus fieri oporteat, ne Deus tentari videatur. Theologi hujus dicendi rationem sequuntur aliqui, eo item principio innixi, quod satis est provisum unitati Fidei conservandæ, si Spiritus Sanctus specialiter assistat Ecclesiæ Capiti, sincere quærenti veritatem per media illa, quæ ratio præscribit, ne scilicet tentatio potius esse videatur, quam definitio.

Digitized by Google

Verum hunc sentiendi modum, qua ex parte supponitur, posse unquam Pontificem pervenire ad aliquid temere, & sine sincera veritatis inquisitione definiendum, refellunt satis communiter Theologi cum Cano, Suar., & Bellarm., qui lib. cit. de Rom. Pontif. cap. 2. sic scribit: *qui promisit finem, sine dubio promisit media, quæ ad eum consequendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire Pontificem non erraturum, quando non temere definit, nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam, ut ille temere definiat.* Recte quidem dicere videtur *parum prodesset;* nam si hæc opinio subsistere supponatur, quis non videat ansam semper hæreticis relinqui, ut in examen revocent Pontificis definitiones, easque suo judicio subjiciant, ex quo, male sane in veritatem affecto, facile decidant, non esse præmissam a Pontifice debitam discussionem, maturum examen, & deliberationem sufficientem ad definiendum requisitam? Quod cum hactenus sæpe Refractarii fecerint, ut experientia testatur, ex hac ipsa Taperi sententia magis, & magis in obstinata sua agendi ratione confirmabuntur. Et hæc est ratio, cur addit Ven. Bellarm., non modo scire nos, non esse Pontificem erraturum, sed etiam scire, non permissuram divinam providentiam, ut temere definiat. Suarius, licet sit in eadem Bellarmini sententia, non tamen loqui videtur ita fidenter, cum respondens loc. supr. laudato num. 11. difficultati ex definitione a Pontifice facta, non præmissa diligentia, sic ait: *Melius, ut existimo, respondetur, non admittendo casum Pontificis temere, vel sine sufficienti diligentia definientis.*

CAPUT II.

Statuitur omnimoda Summi Pontificis ex Cathedra loquentis infallibilitas.

Conclusio hæc ita clare ab Scriptura, & Traditione descendit, ut Suarius disp. 5. de Fide sect. 8. assertionem esse dicat de Fide; id, quod prius senserat, & pronuntiaverat S. Antoninus 3. p. tit. 12. cap. 8. §. 2. con-

Digitized by Google

trarium dicens hæreticum. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. Fidei esse proximam existimat. Can. l. 5. de loc. cap. 5. eam a Fide non multum distare. Quo etiam sensu loquuntur plerique Theologi, quamvis alii mitius agentes eam unice dicant certam, & communissimam, veram, indubitatam. Triplex Scripturæ locus eam oculis caligine, vel præoccupatione non tentis mirifice subjicit. Primus est ille, qui habetur apud Lucam 22.: *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*. Quibus in verbis illud privilegium concessum est Petro, ut ejus Sedes nunquam posset docere ex ratione Primatus aliquid contrarium Fidei. Sic rem non certe obscuram intelligit Theophilactus in c. 22. Lucæ: sic Chrysost. in Epist. ad Eutychetem: sic Bernardus verum Galliarum decus, & ornamentum in Epist. 129. ad Innocentium verbis luce clarioribus inerrantiam Successorum Petri demonstrantibus, scribens: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala Regni Dei. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damnum, ubi non possit Fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando: ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua?*

Eodem prorsus modo loquuntur satis frequenter Summi Pontifices modestia noti, sapientia clari, & sanctitate conspicui, Cathedræ Apostolicæ infallibilitatem ex verbis supra laudatis rectissime colligentes, ut Lucius I. Papa, & Martyr in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ: Felix I. in Epist. ad Benignum: Leo serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: Agatho in Epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in VI. Synodo Act. IV., & post Act. VIII. a Patribus omnibus approbata; Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem: Leo IX. in Epist. ad Petrum Antiochenum; tandem, ut alios omittam, Innocentius III. in Epist. ad Episcopum Arelatensem, quæ habetur cap. *Majores*. *De Baptismo, & ejus effectu*.

Digitized by Google

Alter Scripturæ locus habetur Matth. 16., & continet promissionem infallibilem Petro, ejusque Successoribus factam per hæc verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*: ubi Petrus dicitur petra, & fundamentum Ecclesiæ, ut summus Ecclesiæ Doctor, ac Supremus Gubernator: unde & Petri Successor petra est, & Ecclesiæ fundamentum. Quid autem petra significat, nisi constantiam, & soliditatem? Quid nisi quod non frangatur, nec vento doctrinæ circumferatur, in Fide semper constantissime permanens? Profecto si ruere nequaquam Ecclesia potest, quod est ædificium rupe firmissimum, quo poterit pacto ruere fundamentum, in quo fundata est? Hoc sane modo, a nobis exposito, verba laudata intelligunt Patres, clarissime inde deducentes, Petri Successores in Fide non posse deficere, vel errare. Ita Origenes super hunc locum, Chrysostom., Cyrillus apud S. Thomam in catena hujus loci, Theodoretus in Epist. ad Renatum Presbyterum Romanum, Hieronym. in Epist. ad Damasum de nomine hypostasis, ubi postquam dixisset: *super istam petram ædificatam Ecclesiam scio*, subjunxit protinus certam eliciens conclusionem: *Obsecro, ut mihi litteris tuis sive tacendarum, sive dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas, non timebo hypostases dicere, si jubetis*. In eundem omnino sensum August. scribit in psalm. contra partem Donati: *numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri: in ordine PP. quis cui successerit videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ*. Nec aliter loquitur Gelasius in Epist. ad Anastasium Imperatorem, & Gregorius tum lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium, tum lib. 6. Epist. 37. ad Eulogium. Satis sint in hunc locum allegati Patres, quibus esset facillimum alios addere. Qui enim laudatorum auctoritate, & recta intelligentia non frangatur, suæ ipse obstinatæ mentis cæcitati relinquatur.

Tertius Scripturæ locus desumitur ex Joanne ultim. verbis: *Pasce oves meas*, quibus Petrus instituitur Pastor, & Doctor universalis totius Ecclesiæ, quæ cum du-

ratura sit semper, suum illa Caput, suum Pastorem, & Doctorem habere debet, quem omnes audire, & quem omnes sequi tenentur. Qui sane, si posset, ut Pastor, & Doctor errare, subsistere nequaquam illa poterit in unitate Fidei. Dices, Ecclesiam suum Pastorem, & Doctorem sequi debere, si tamen recte doceat, & vitæ pabula saluberrima porrigat. Bene quidem habet. Sed quisquis es homo levis, qui ita respondes, dic mihi quæso, quinam esse debet judex integer, & in causa verus, an recte doceat Supremus Doctor, an secus? Profecto ratio ipsa naturalis vel imperito cuique satis præscribit, non esse ovium judicare, an Pastor erret, necne, præsertim in rebus dubiis.

Nec vero Generali Concilio committi hoc ulla ratione potest. Constat enim Generalia Concilia errasse sæpe cum Petri Successoris caruere suffragio, vel approbatione. Erravit Ephesinum II., erravit Ariminense, erraverunt alia. Nec enim dixit Christus Concilio, nec Petro cum Concilio: *oravi pro te, pasce oves meas; tu es Petrus, & super hanc petram* &c.; sed uni Petro, ejusque Successoribus, qui petra futuri erant, & fundamentum Ecclesiæ; ex quo item evidenter colligitur, totam legitimorum Conciliorum firmitudinem ab ipso esse Pontifice, non partim a Pontifice, & Concilio. Præterea quis ita male lippus existat, quin videat sæpe cogi non posse Concilium propter innumera, quæ occurrere solent, incommoda, & propter gravissimas, quæ superari non possunt, difficultates? Profecto tribus primis CCC. Ecclesiæ Christi annis, ut ut hæreses jam tunc fuissent exortæ, congregari non potuit Concilium propter Ethnicorum persecutiones. Et sine dubio Ecclesia durare sic poterat usque ad finem Mundi. Debet igitur esse in Ecclesia sine Generali Concilio Supremus quisquam Judex, qui sine periculo erroris dirimere possit controversias, quæ oriri non infrequenter solent in argumento Fidei. Tandem si Patres in Concilio a Præside suo dissiderent, quid tandem fieret, quæ ratio concordiæ, & a quo esset ineunda? Certe in eo dissidio aliquis esse deberet legitimus judex, nec alium nobis designat Christi

Digitized by Google

cura, & providentia pro sua dilectissima Sponsa, quam Caput, Rectorem, & Gubernatorem totius Ecclesiæ, qui ex vi Primatus, & supremæ concessæ Potestatis errabit nunquam, ut Custos unitatis Fidei, cum tot a suo Capite divisa Concilia de facto erraverint. Merito itaque scribebat Chrysostom. ad Eutychetem: *Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem.*

Consensus, & Traditio Ecclesiæ Pontificum definitiones infallibiles esse demonstrant. Nam Summi Pontifices hanc in se ipsis a principio potestatem agnoverunt, eaque usi sunt ubi expedire judicarunt. Nec vero credibile est, aut verisimile, illam eos usurpasse, tum propter multitudinem, & magnam plurimorum sanctitatem, tum propter consensum, & obedientiam Ecclesiæ. Unde Romani Pontifices sine Generali Concilio damnaverunt hæreses Pelagii, Priscilliani, Joviniani, Vigilantii, & aliorum, quas quidem eo ipso tota Dei Ecclesia pro veris hæresibus habuit, & exhorruit. Hanc eandem in Supremo Capite infallibilem potestatem Concilia ipsa Generalia legitime congregata, & a Pontifice approbata cognoscunt, prædicant, & commendant, ut patet ex Vienn. Concilio in Clem. unic. de Sum. Trin., ex Florentino sess. 25. in fine, & ex Later. sub Leone X., quod articulum 23. Lutheri, hanc negantis veritatem, tanquam hæreticum damnavit. Nec omittenda Concilia Provincialia a Summis Pontificibus approbata, quæ habentur in Ecclesia tanquam infallibilis regula Fidei, ut multa Romana, multa Lateranensia, multa item Toletana, Milevitanum, Arausicanum &c. Nam hæc omnia eandem contestantur veritatem. Qui plura volet, ac Patres legere antiquos hac de re traditionem texentes, legat Uvald. lib. 3., Doct. Hosium in confessione Fid. cap. 53., Canum lib. 5. & 7. de loc., Turrecremat. lib. 3. Sum. cap. 109., & sequentibus, Bellarm. lib. 4. de Pontificibus, Salmeronem sup. Matth. 10., Suarium tum disp. 5. de Fide sect. 8., tum a disp. 10. de Sum. Pontif., & tandem integrum ejus librum 3. contra Regem Angliæ.

Juvat Caput concludere experimento claro, quod Bellarm. adducit, postquam ab Scriptura, Patribus, & Tradi-

Digitized by Google

tione evincit evidenter Pontificum infallibilitatem. *Constat apeıte, inquit ille, omnes Pontificales Sedes a Fide defecisse, & solam Romanam Sedem in Fide semper perstitisse. Sederunt in Sede Constantinopolitana Macedonius, Nestorius, & Sergius Hæresiarchæ. In Alexandrina sederunt Georgius, & Lucius Ariani, Dioscorus Eutichianus, Cyrus Monotelita, aliique non melioris doctrinæ Patriarchæ. In Hyerosolimitana Joannes Orrigenes, & ante illum Eutichius, Irenæus, & Hilarius Ariani sederunt. Nihil autem simile ostendi potest in Romana Sede, ut vel ipso constet experimento, & effectu clarissimo orasse Dominum pro ipsa, ne Fides ejus deficeret.* Unde Ruffin. in exposit. Symb. *In Ecclesia*, inquit, *Urbis Romæ neque Hæresis ulla sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus.*

Vulgaria sunt ista, & omnibus fere nota Theologis, quæ quantumvis solida, & rem sinceris animis omnino persuadentia, non tamen prorsus dejiciunt quosdam ab opinione concepta, quam semel in animum induxere ex dictis, factis, & scriptis Gallicani, ut inquiunt, Cleri, cujus auctoritati, doctrinæ, & eruditioni multum esse deferendum prædicant in argumento præsenti, ut qui rem discussit accuratius, & traditionem contrariam, editis magnis operibus, demonstravit. Propter hæc majus aliquid aggrediendum est nobis, si quidquam proficere possumus in partibus, in quibus vix non invaluit libera Gallorum degenerantium opinandi ratio, qui veros se Gallos non ostendunt, sed Ecclesiæ potius Gallicanæ doctrinæ contrarios.

CAPUT III.

Quid tandem auctoritatis habeant Comitia Episcoporum Galliæ, quæ anno 1682. celebrata sunt.

Unum est illud in argumento præsenti, quod aures sæpe contudit meas, & multorum animos seu debiles, seu ignaros, seu præoccupatione detentos magnopere conturbat, & ad se trahit, decisio, ut inquiunt, Cleri Gallica-

Digitized by Google

ni in Comitiis habitis anno 1682., in quibus Episcoporum consensu statutum est tandem post longam discussionem, non esse irreformabile judicium Summi Pontificis in definitionibus Fidei, nisi accedat Ecclesiæ consensus. Quis enim credat, sapientissimos Præsules, quos inter emicat Ecclesiæ lumen Gallicanæ Jacobus Benignus Bossuetius, qui tantæ Congregationis pars magna fuisse jactatur, eò devenire potuisse, ut Declarationem ederent solemnissimam, nisi palam illis constitisset, rem esse per se claram, Patrum traditione firmatam, & in Conciliis declaratam, errare posse Pontificem in definitionibus Fidei, quantumvis ex vi Primatus, & jurisdictionis a Christo ipsi concessæ Caput sit, & universalis Ecclesiæ Magister, & Doctor. Id enimverō multorum concutit mentes, & causam reddere videtur dubiam minimum, & ancipitem.

Ego autem singula perpendens capita, quæ in hoc negotio Declarationis contigere, adeo non sum anceps, aut dubius, quasi de vera sententia aliquantulum motus, ut in antiquo, certoque sentiendi modo magis, & magis confirmer. Primum enim, quam habeant auctoritatem præfata Comitia Gallicana, ex ipsa gerendi ratione, prout ab illis ipsis enarratur, qui ea defendendi provinciam susceperunt, facile colligo. Quo tempore notissimæ vigebant dissensiones inter Galliæ Regnum, & Pontificem Summum occasione extensionis Regaliæ Francorum, nec Innoc. XI. pro suo Pontificatus munere petitis a Ludov. XIV. annuendum esse censebat, inita sunt jussu Regis decantata Comitia 44. Episcoporum, qui inter alia Declarationis capita, illud etiam declaraverunt, quod inerrantiam negat Summi Pontificis, nisi Ecclesiæ accedat consensus. Vix dum facta Declaratione die 19. Martii designati anni, editum est illico Decretum Regis, ut illa executioni mandaretur ea celeritate, ut ejusdem mensis die 23. roboratum fuerit Decretum, signatumque Parisiensi Senatu. Ita profecto res enarratur in defensione ipsa Declarationis (statim post præfat.) edit. Amstelodami ann. 1745.

Cum igitur ita res habeat, ut ab Adversariis enuntiatur, ubi est hic Ecclesiæ Gallicanæ Decretum? Ubi Clerus Gallicanus rem inconcusse definiens? Video hic Epis-

Digitized by Google

copos non ultra quatuor supra quadraginta, quæ certe pars est Episcoporum Galliæ quasi tertia; cæteri autem jussu Regis Comitiis intimatis non intersunt. At saltem hæ duæ partes, quæ seu vocatæ non sunt, seu interesse non potuerunt, suffragiis ipsæ suis Declarationem factam confirmare debuerunt. Ita sane negotium transigendum esse videbatur, si vere, & ex animo veritas exquireretur, nec importuna vis deliberationem præripuisset. Instat Decretum Regis, idque per Senatum roboratur, inhibita majori Episcoporum parti consultatione, qui tribus tantum, quæ intercessere, diebus ne facti quidem notitiam habere potuerunt, antequam ipsis Declaratio Edicto munita Regis intimaretur.

Præterea quid tandem Episcoporum Comitia, jussu ipso Regis congregata, sua Declaratione conata sunt stabilire? An Pontificis fallibilitatem esse de Fide, idque toti palam Orbi constare ex Concilio nimirum Constantiensi, & Basileensi, ut velle sibi videntur Adversarii, auroram ortam esse veritatis dicentes in nebulosis illis temporibus. Id sane a vero remotissimum esse testantur ipsi Præsules congregati, qui subscriptionem dedere: *Nihil enim decernere animus fuit*, scribunt ipsi in Epist. ad Innoc. XII., ut nos docet Auctor Defens. in ipsa Dissert. prævia num. 10. Ubi etiam additur, quod Galli demo ad Episcopatum electi in alia ad Innoc. Epist. rem ipsam majori cum pondere significarunt dicentes: *Quidquid in iisdem Comitiis circa Ecclesiasticam Potestatem, ac Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto haberi velle; mens quippe nostra non fuit quidquam decernere*. Ex eadem prævia Dissert. colligimus, idipsum scripsisse Cameracensem Episcopum in aliis ajentem litteris, nullam in Comitiis factam fuisse Fidei decisionem, sed unice adoptatam esse opinionem. Quod idem quoad rem ipsam supponit Bossuetius dicens de Parisiensi Academia: *in qua non habetur de Fide Superioritas Concilii supra Pontificem*. Ex his, quæ nobis ex Adversariorum concessione indicata sunt, habemus primo, in fumum abire, etiam Gallorum judicio, quidquid magno inducitur cum clamore contra inerrantiam Pontificis ex Concilio Constantiensi, & Basileensi. Se-

Digitized by Google

cundo, Declarationem in memoratis Comitiis factam, & tanta deinde cum vi, & incohærentia defensam solum esse adoptionem opinionis, quæ ut talis non potest non esse anceps, dubia, formidolosa, atque adeo non multum incommoda cæterarum gentium verissimæ, & antiquissimæ sententiæ. Nam si extrinsecam quæras auctoritatem, quid tandem apud integrum, verique amantem judicem valebit 44. Episcoporum jussu Regis Pontifici infensi congregatorum auctoritas, si cum tot millibus Episcoporum, & sapientissimorum hominum ex omni, quæ sub cœlo est, natione comparetur? Rationes si quæras opinionis intrinsecas, nullas sane in Comitiis edidere Prælati, sed eas vidimus tum primum editas, cum anni effluxerant ferme quadraginta, recurrentibus Ecclesiæ calamitosis temporibus, & in locis vere suspectis. Et quod in lucem prodiit, sic est varium, sic incertum, sic incohærens, ut facessere non debeat negotium ullum defensoribus infallibilitatis Pontificiæ, & ad id unice videatur scriptum, lectori ut tædium creet, ut videbimus. Nunc vero id tantum observatum velim, controversiam hanc nostram non esse physicam, non ontologicam, non metaphysicam, in quibus paucorum hominum subtilitas, acumen, & penetratio; vel rationes novæ casu inventæ, vel ex industria quæsitæ, juvante rerum experimento, communem, & antiquum sentiendi modum elidere possent, aut superare. Est igitur controversia præsens, si quidem talis dicenda est, tota dependens a Revelatione, a Traditione, & ab Antiquitate, ubi initium Ecclesiæ Christi qui propius attigerunt, ii sunt accuratius legendi, & consulendi, ut quibus major in argumento deferenda est fides, credulitas, & assensus. Jam vero quid hac in re senserit antiquitas, non unius, aut alterius Ecclesiæ particularis, sed universalis, non unius tantum Patris, sed omnium, brevibus expressit verbis Cl. Petrus de Marca Tolosanus Antistes, Electus deinde Parisiensis, referens lib. 2. de Concord. num. 6. antiquioris, ut credo, Galliarum Patris, ac Magistri, S. Irenæi testimonium: *Unus dixit quod omnes sentiebant.*

Discutiendum est itaque accuratissime, sepositis tamen partium studiis, quænam fuerit in Ecclesia Gallicana,

in argumento, quod versamus, sententia antiquior, quænam universalior, quænam liberior, quænam sibi cohærentior. Viros referam sapientissimos, & Episcopos ejusdem nationis, & iisdem ipsis, quas ab eis desumam, rationibus facile a me conficiendum credo, quod ex quatuor hisce Capitibus propono.

CAPUT IV.

Sententia arcte tenens Pontificis inerrantiam antiquior est in Ecclesia Gallicana.

Ab antiquitate initium sumo, & ut omittam Dionysium Areopagitam, primum, ut inquiunt, Galliarum Apostolum, criticæ tamen rectæ merito suspectum, ab Irenæo exordior, quem pridem nominavi, antiquissimo Patre, Episcopo Lugdunensi, & Ecclesiæ Gallicanæ exploratissimo Magistro. Quid ille sensit de Romana Ecclesia, & de Successoribus Petri? Quid de traditione doctrinæ Fidei, cui omnes omnino fideles conformari debent? En ejus verba ex illustri, quem habemus, loco lib. 3. cont. Hæres. c. 3.: *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annuntiatam omnibus Fidem per successionem Episcoporum venientem usque ad nos indicantes, confundimus eos omnes, qui quodammodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Reddit rationem, cur Ecclesiæ Romanæ traditione, & annuntiata omnibus Fide per successionem Romanorum Episcoporum utatur, quia nimirum ex jure Primatus cæteræ omnes Ecclesiæ cum ipsa debent in unitate Fidei convenire: *Ad hanc enim* (pergit ipse) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, Fideles, in qua semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.*

Quæ sane Irenæi verba optime commentatur Cl. de Marca supra laudatus loc. cit. sic disserens: *Commune hoc*

officium communionis cum Ecclesia Romana, cui impendendo cum cæteris Provinciis Gallia adstringitur, cognoverat ante omnes vetustissimus ille Lugdunensium Antistes Irenæus, qui unus scripsit quod omnes sentiebant. Ad Romanam Ecclesiam (inquit) propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, quasi diceret juxta sinceriorem illorum verborum interpretationem, illam esse vim unitatis, quæ principium, & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem cæteris imponat.

Nec aliter ac Irenæus sentit S. Prosper, cujus communis sentiendi modus aperte constat ex carmine *de Ingratis*, uti & ex ejus Romam notissimo accessu ad Cœlestinum Papam in causa Pelagianorum. Ad idem sæculum Prosperi referenda est Epistola Ravennii, cæterorumque Provinciæ Arelatensis, & Narbonensis Episcoporum ad Leonem Pontificem, ut quæ missa est anno 450. Invenitur hæc Epistola tot Episcoporum Galliæ inter Epistolas S. Leonis post 51., & iis illa terminis continetur: *Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum Fidei, quisquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos Hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit .... Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solum Gallias, sed totum Mundum velut pretiosissimis quibusdam gemmis ornavit, dignas existimet gratias posse persolvere? Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter teneat quod credere debet: debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat.*

Fuit etiam inter antiquos Ecclesiæ Gallicanæ PP. S. Avitus, qui, ut constat ex Epistola 89. (V. Longueval lib. 5. Hist. Eccles. Gallic. pag. 352.) sic scripsit ann. 517. cæterorum etiam Episcoporum nomine ad Papam Hormisdam: *Omnes ad vestram referuntur decisionem in eo, quod pertinet ad statum Fidei.* Et apud Ballerinium c. 13. de vi, & rat. Prim. §. 16. addit in eadem Epist.: *Jam securus non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes vestram super statum Fidei captare sententiam.*

Nec omittenda est Epistola, quam prius scripserat ad

Senatores Romanos nomine item Ecclesiæ Gallicanæ, quæ sic effertur: *Nec facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminenter judicetur . . . . in cæteris Sacerdotibus potest, si quid forte nutaverit, reformari. At si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. Cæterum non est proprium Gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis, nempe Dei.* Præterea Concilium V. Aurelianense Episcopis constans 50. (quos inter 10. omnino sancti recensetur) præter alios 21. deputatos, declaravit Can. 1., ut auctor est Fleury lib. 33. Hist. num. 28.: *æque se condemnare errores Eutychetis, atque Nestorii tanquam a Sede Apostolica condemnatos*. Tanti semper habita fuit in Gallia Pontificis definitio dogmatica, sicut & approbatio Conciliorum Provincialium, ut constat ex litteris Cæsarii Arelatensis ad Bonifacium II. postulantis, ut sua confirmaret auctoritate Canonem II. Synodi Arausicanæ, quod egit Summus Pontifex, *ut omnis tolleretur ambiguitas*.

Ex sæculo 8. habemus Libros Carolinos, in quorum primo c. 6. hæc habentur: *Non ab aliis Scripturis, nisi ab iis, quas illa* (Ecclesia Romæ) *inter Canonicas recipit, testimonia sunt assumenda; nec aliorum Doctorum, nisi eorum, qui a Gelasio, vel ab aliis illius S. Sedis Pontificibus suscepti sunt, Dogmata sunt amplectenda*. De eadem ipsa re, & in eodem prorsus sensu Pontificis errantiam excludente sæpe disseruit sæculo sequenti sapientissimus Hincmarus. Et primo quidem in præfatione de Divortio Lotharii, & Theutbergiæ sic ait: *De omnibus dubiis vel obscuris, quæ ad rectæ Fidei tenorem, vel pietatis Dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, Nutrix, ac Doctrix, est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda*. Et rursus de Prædest. c. 14.: *Catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum Mater docet;* & denuo in Præfatione ad Nicolaum primum Summum Pontificem: *Pontifex Rom. vicem in Terris possidet Dei . . . . . . neque fas est, ut absque Vicario Dei, absque Universitatis Pontifice, absque unico Papa, absque omnium Capite aliquid in rebus Fidei consummetur, aut divulgetur.*

Digitized by Google

Clariora fortasse videbuntur quæ in Annalibus Metensibus ad ann. 866., & quæ a Reginone Ab. Prumiensi scribuntur in Chronico ad ann. 859., ubi lepido stultitiæ elogio insigniuntur *qui Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit*. Ivo Carnutensis Episcopus, qui sæculo floruit XI. Epist. sua 8. ait luculentissime: *Apostolicæ Sedis judiciis, & Constitutionibus obviare est hæreticæ pravitatis notam incurrere*.

Plures eandem rem confirmant sæculo XII.; & primo quidem Goffridus Vindonissensis Abbas S. R. Ecclesiæ Cardinalis Epist. 30. hæc habet: *Eodem Spiritu & Lex prima per Moysem data est, & per Christum secunda; Sancta Apostolica Sedes Canones dedit, &, ipso inspirante, exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, quicumque est, ille, sed desipit, non cultor, vel expositor Divinæ Legis, sed insidiator, & oppressor indubitanter agnoscitur*. Secundo Petrus Cluniacensis Lib. 4. ad Innocent. II. scribit: *Spiritus Consilii, qui ubi vult spirat, per Romanos Pontifices Ecclesiæ suæ per totum Orbem diffusæ assidue consulit*. Sex quoque Gallicani Episcopi ad eumdem Innoc. II. litteras mittunt, quæ extant inter Epistolas S. Bern. num. 337. (alias 370.), atque in iis testantur: *Nulli dubium est, quod ea, quæ Apostolica firmantur Auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus deinceps possunt mutilari cavillatione, vel invidia depravari*.

Clarius adhuc ostendit Pontificis inerrantiam vir sapiens, & inter paucos limatissimus Alcuinus, qui tamquam primus Universitatis Parisiensis Auctor habetur; sic enim scribit verissime Epist. 7.: *Ne Schismaticus habeatur, aut non Catholicus, sequatur probatissimam Ecclesiæ Romanæ Auctoritatem, ut unde Catholicæ Fidei initia accepimus, inde exempla salutis nostræ semper habeamus. Ne membra a Capite separentur suo, ne Claviger Regni Cœlestis abjiciat quos a suis deviasse cognoverit doctrinis*. Nihil ad rem nostram dici potest magis accommodatum.

Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Parisinæ Scholæ Doctor egregius, sic scribit (apud Duvallium de Rom.

Digitized by Google

Pontific. cap. 2.) in tract. de Euchar. contra Berrengarium: *Beati Doctores, si non iisdem verbis, tamen sententiis eisdem multis in locis concorditer adstruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui a Romana, & universali Ecclesia in Fidei doctrina discordat.* Petrus Lombardus, ex Theologiæ Scholæ Præsidente, vel, ut dicebant, *Scholastico*, seu Cancellario Episcopus factus Parisiensis, in 4. dist. 24. plane statuit Primatum Pontificis, & Principatum super omnes Patriarchas, & Episcopos, *sic ut alteri Potestati non subjiciatur.* Eodem tenore dicendi usus est Alensis, *Doctor irrefragabilis*, Thomæ, & Bonaventuræ Præceptor, qui 3. p. Summ. Theol. quæst. 40. ita supremam in Summo Pontifice statuit potestatem, ut ejus judicium a nemine reformari possit. *Summus*, inquit, *Pontifex non potest ab alio, quam a Deo judicari.* Quem in sensum multa etiam dicit ex Hugone Victorino, Gelasio, Innocentio, Symacho.

Alensem imitantur in suprema Pontificis potestate a nemine restringenda tres illi Doctores insignes Facultatis Parisiensis Henricus de Gandavo *solemnis Doctor* appellatus, Augustinus de Ancona, & Ægidius Romanus. Primus in Quodlib. 6. quæst. 22. *Ipse*, inquit, *Papa potest facere Edicta universalia, quæ omnes ubique adstringunt, in quibus nulli Episcopi habent jurisdictionem, nisi quatenus eis committitur a Papa, & in jure edito ab ipso eis conceditur.* Clarius alter in lib. de Potest. Eccles. quæst. 10. art. 5. scribit: *Papam posse aliquid addere supra illa, quæ sunt Fidei, dupliciter potest intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum, vel implicitorum explicationem. Utroque modo potest Papa aliquid addere supra illa, quæ sunt Fidei, quia si aliqua sunt dubia, aut obscura in Fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare. Post cujus determinationem hæreticum esset contrarium pertinaciter asserere.* Ægidius tamen, *Doctor fundatissimus*, S. Thomæ discipulus, magis supponens, quam de re nemini non cognita disputans, indicat Romanum Pontificem esse supra omnia Concilia, atque adeo infallibilem. Consule Lib. ejus de renunt. Pap. cap. 8. col. 3. cap. 9. col. 1., & 2., & cap. 10. col. 2., item in

Digitized by Google

3. dist. 29. part. 2, ubi verba illa leges, ex quibus facile expedies objectionem magni habitam ab Adversariis. *Cum aliquid*, inquit, *componitur ex duobus, semper supremum sumit nomen totius, ut quod facit Papa, dicatur facere Ecclesia, quia Papa est Caput Ecclesiæ*. Et quod attinet ad infallibilitatem Pontificis definientis, illam non obscure significat cap. 10. de renunt. *Si oriretur*, ait, *aliqua quæstio de Fide . . . . ad eum* (Papam) *spectaret ejusmodi quæstionem decidere*.

Joannes Parisiensis, perillustris ejusdem Academiæ Doctor, licet inciderit in ea turbulenta tempora ex discordia inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulchrum Gallorum Regem, & propensior in Regem, quam erga Pontificem fuisse videatur, clare satis significat infallibilem esse Pontificem in rebus Fidei definiendis. Nam in tractat. de Potest. Reg. & Pap. cap. 3. sic scribit: *Post corporalem substractionem præsentiæ corporalis Christi, convenit interdum circa ea, quæ sunt Fidei, quæstiones moveri, in quibus propter diversitatem opinionum, vel sententiarum divideretur Ecclesia, quæ ad sui unitatem requirit Fidei unitatem, nisi per unius sententiam unitas servaretur*. Idem repetit paulo post eodem in capite addens: *Sæpe convenit multas quæstiones oriri de pertinentibus ad salutem, seu Fidem in diversis Regionibus, seu in Regnis. Et ideo, ne propter diversitatem controversiarum unitas Fidei destruatur, necesse est, ut dictum est, unum esse Superiorem in spiritualibus, per cujus sententiam controversiæ eliminentur*.

Per idem fere tempus Joannes Duns Scotus, *Doctor*, ut audit, *subtilis*, in Reportatibus Parisiensibus in dist. 24. in 4. sentent. quæst. unic. §. *Articulus secundus* docet, ac efficaciter probat, Episcopos non accipere immediate a Christo potestatem jurisdictionis, quia si eam ita acciperent, non posset ab illis tolli per Summum Pontificem, sicut tolli non potest Ordinis potestas. Quam abest longe ut existimet, per Episcopos Pontificem judicari posse! Hervæus Natalis, & Aureolus, primus Doctor Parisiensis, & Magister Generalis Dominicanæ Familiæ, alter natione Gallus ex Ordine S. Francisci ad Aquensem Archiepiscopatum promotus, Doctor similiter Parisiensis, in eadem

Digitized by Google

fuere sententia. Nam Hervæus in tract. de Potest. Papæ fol. 2. col. 4. tradit expresse infallibilitatem Pontificis his verbis: *Potest* (Pontifex) *declarare cum auctoritate aliqua* (non solum inquisitive agere de dubiis), *scilicet quod declaratio sua debeat haberi pro vera, ita quod non liceat oppositum tenere, vel opinari. Et isto modo potestas, & auctoritas declarandi prædicta dubia est solum apud Summum Pontificem simpliciter*. Et apud S. Antoninum 3. p. Sum. tit. 22. c. 36. ita concludit discursum de Potest. Pontif.: *Cui tota Universitas Christiana debet esse conformis, ad quem spectat sententiare quid credendum, & quid non credendum*. Aureolus autem in 4. sentent. dist. 10. art. 1. testatur supremam jurisdictionem Papæ in totam Ecclesiam, cui nulla sit æqualis, nedum superior.

Clarus Joannes de Belna Inquisitor Carcassonensis, qui ann. Dom. floruit 1319. sub Philippo Franciæ, & Navarræ Rege, in opusculo, quod adducit Stephanus Balluzius tom. 1. Miscell. Parisiis edito, hæc nobis scripta reliquit: *Quæstiones, aut dubia, quæ circa illa, quæ sunt Fidei, oriuntur, ad Sedem Apostolicam pertinet interpretari, declarare, & etiam amputare*. Plura in hanc rem tradit Paludanus celebris in Theologia Doctor, Patriarcha Hyerosolimitanus, & natione Burgundus in tractat. de causa immediata Ecclesiasticæ Potestatis, Parisiis impresso ann. 1506. post ejus mortem sexagesimo. Ejus transcribere conclusiones, rationes, & fundamenta, res esset longa nimis. Omnia, quæ ibi docet Paludanus, eo tendunt, ut demonstret, omnem potestatem jurisdictionis, quæ est in Ecclesia, a Romano Pontifice derivari, atque adeo Papam esse supra omnia omnino Concilia, & nullam esse superiorem jurisdictionem, ex qua Papæ potestas limitari possit, *quia Papa Romanus in omni præeminentia, plenitudine, & potestate, & dignitate jurisdictionis succedit plene, & perfecte Petro*.

Franciscus Mayronus Scoti Auditor, natione Gallus, *Doctoris Illuminati* nomine jure merito insignitus, qui primus traditur fuisse auctor in Academia Parisiensi illius Defensionis Theologicæ, quæ *Sorbonica* dicebatur, ab ortu Solis usque ad occasum, seu ab hora sexta matutina ad sextam usque vespertinam, hic, inquam, Doctor celeber-

Digitized by Google

rimus in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. defendit in Summo esse Pontifice plenitudinem potestatis non minus, quam in Sancto Petro, atque adeo nullam esse in terris superiorem Potestatem contra eum, qui supremum tenet in Ecclesia Principatum. *Quia ubicumque est eadem causa concedendi jus, ibi debet esse eadem ratio: sed eadem ratio nunc, sicut tunc* (Petro sedente), *nempe habere Principatum*.

Doctorem Illuminatum pone sequutus est alter, qui *Resolutus* audiebat, Bachon, seu Bachonius natione Anglus, & Academiæ Doctor Parisinæ. Hic igitur in Prologo lib. 4. sent. q. 10., ubi egregie tuetur Romani Pontificis Principatum, ejusque in totum Ecclesiæ corpus superioritatem, omnino excludit aliam superioritatem nedum majorem, sed etiam æqualem. Probat id ex Petri prærogativis a Christo concessis, & in Successores transeuntibus; unde *Papa*, inquit, *potest de plenitudine potestatis sine Fratribus suis disponere de universali statu Ecclesiæ*, & affirmat, *solum Romanum esse universalem Pastorem Ecclesiæ . . . . . . Ipse solus est universalis Pastor Ecclesiæ . . . . Quare ille solus impartitur auctoritatem Decretis, & Conciliis, nec se subjicit iis*.

Nec multo ante in eundem sensum scripserat Petrus Rogerius Archiepiscopus Senonensis, qui postea fuit R. Pontifex Clemens VI., in Decreto ad Armenos inquiens: *A Sententiis, & Judiciis Romani Pontificis non potest, neque potuit, neque poterit ad aliquem Judicem appellari*. Atque hæc quidem didicerat in Parisiensi Universitate, cujus fuerat Doctor, & Provisor, quoniam, ut habetur in Hist. dictæ Universitatis ad annum 1324., id testatus tunc fuerat Parisiensis Episcopus suæ Ecclesiæ nomine in Litteris pro B. Thomæ doctrina editis. Hæc, inquam, eo sæculo fuit doctrina Universitatis Parisiensis, quam ipsius nomine professus est Petrus de Alliaco, ut habetur in prædicta Hist. ad ann. 1387. per hæc verba: *Firmissime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, de qua in persona Petri in ea sedentis dictum est: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua;* quibus alia plura etiam affinia ex Alliaco legi possunt apud Antoine pag. 158.

Digitized by Google

Academiæ sensum per idem tempus expressit tota Ecclesia Parisiensis cum suo Episcopo Stephano congregata, quæ aperte professa est, Romanam Ecclesiam ex confessione Petri illud habere, ut esset Universalis Regula Catholicæ Veritatis. En tibi verba Professionis, quæ leguntur in Hist. Universali Parisiensi ad ann. 1324.: *Ecclesia Romana est Mater, & Magistra omnium Fidelium, fundata supra firmissimam confessionem Petri Vicarii Christi, ad quam tamquam Universalem Regulam Catholicæ Veritatis spectat declaratio dubiorum, & determinatio Dogmatum, quæ tenenda sunt, & errores, qui sunt rejiciendi.* De mente Bernardi non solum Galliæ, sed totius etiam Ecclesiæ Doctoris egregii nihil dixi; nam ejus sententiam jam supra vidimus, exarantes verba, quæ luce clarius demonstrant Pontificis inerrantiam in rebus Fidei, cum dicebat: *in Innocentii Apostolatu Fidem non posse sentire defectum.* Cum Bernardo sensit ejus amicus, & in primis carus Hugo Victorinus, qui lib. 7. de Sacram. c. 43. sic disserit: *Papa dicitur, quia Pater Patrum. Hic Universalis dicitur, quia universæ præest Ecclesiæ; hic quoque Apostolicus vocatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur. Hic etiam Summus Pontifex nuncupatur, quia Caput est omnium Episcoporum.* Concludit tandem dicens: *ad illum pertinere totam Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque Papa vicem, & locum tenet Christi Episcopi Apostolorum.* Quam abest longius Victorinus, ut crederet futuros esse e gente Galla qui dicerent, judicium ejus, qui Caput est Episcoporum, Pater Patrum, locum, & vicem tenens Christi, Ecclesiæ Rector universæ, per eam sparsam, aut collectam reformandum esse! Sed quid plures commemorem idem sentientes?

Id universim dicere possum, neminem, quod sciam, Theologorum Galliæ, vel Sorbonicæ Facultatis typis dedisse opus contra Pontificis inerrantiam ante periculosum Schisma, seu tempora procellosa Concilii Constantiensis, & e contrario quotquot suis in operibus in lucem datis argumentum tetigere, mirabili omnes consensione conspirasse in antiquam de Pontificis infallibilitate sententiam. Quod si opinio contraria paucis ante Constantiense annis

Digitized by Google

cœpta est agitari, ea certe tanquam novissima, & antiquitati contraria visa est, ipsique quondam apud aliquos probabilitatis speciem conciliarunt, qui deinceps secuti sunt, eventus calamitosi. Satis id mihi constare videtur ex Principibus, quos adduxi, Parisiensis Facultatis, plurimos alios, si foret opus, relaturus sive Theologos, sive Doctores Sorbonicos, ut clarius oculis subjiceretur omnium hac in re totius Regni consensio. Sed tamen dicendum est aliquid in particulari de tribus illis Parisiensium luminibus S. Thoma, S. Bonaventura, & B. Alberto Magno, qui eximii semper fuere cultores antiquitatis.

Quid primus reliquit scriptum de Pontificis infallibilitate? Illud profecto non æquivocum, non ambiguum, sed clarum, perspicuum, manifestum, ut vere mireris suam in causam ab Adversariis temere omnino trahi: *Nova editio Symboli*, ait 2. 2. quæst. 1. art. 10., *est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio novi Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis*. Et infra: *Servari non potest* (unitas Fidei) *nisi quæstio Fidei determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, & sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur*.

Nec obscuriora sunt S. Bonaventuræ verba, qui loquens in 1. dist. 11. a quæst. 1. circa Græcos Spiritus Sancti negantes processionem ex Filio, ita disserit: *Et ideo sententiam suam defendere ausi sunt, & auctoritati Ecclesiæ Romanæ obviare, & ideo facti sunt Hæretici, quia negant Fidei veritatem, & Schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiæ unitate*. Et respondens objectioni Græcorum, ait cum S. Anselmo: *Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum proponere, nec arctare potuit, nec ei præjudicare, nec ligare eam ad aliquid*. Ita Bonaventura conformis omnino S. Thomæ, qui sane Doctores suas fundant ratiocinationes validissimas in Pontificis auctoritate infallibili ad aliquid addendum in Symbolo, & ad definiendum quid sit Fide divina credendum, quid item damnandum.

Digitized by Google

Pone tantisper fallibilitatem Pontificis, & fac Gallum illam tenentem manus conserere cum peritissimo Græco contendente, non potuisse Pontificem ex suprema sua auctoritate addere Symbolo verbum illud *Filioque procedit*, nec Spiritus Sancti decernere processionem ex Filio. Quo illum urgebit pacto negator Pontificiæ infallibilitatis? Namque facile responderet Græcus dicens, articulum processionis Spiritus Sancti ex Filio æque ac ex Patre in nullo Concilio Œcumenico definitum fuisse ante Græcorum separationem, nec ab Ecclesia collecta, seu dispersa fuisse determinatum, cum Græci mediam certe illius partem componerent. Eamdem ederet responsionem circa additionem Symboli, adducens Concilia Generalia expresse prohibentia, ne quis vel minimum tangere præsumeret in Symbolo Constantinopolitano; immo & afferret quasdam Synodos Anathema pronuntiantes in eos, qui vel quidquam addere, vel quidquam demere auderent. Papa igitur inferior per te (Græcus ad Gallum) Concilio additionem faciens, & Latinæ Ecclesiæ Episcopi illam acceptantes in Anathema sunt prolapsi. Quid ad hæc Gallus inerrantiæ Pontificis impugnator? Nihil omnino solidum posset ille reponere. Quanto rectius S. Thomas de Potest. quæst. 10. art. 4. ad 13.! *Sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priori Synodo conditum; ita Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola Synodus & congregari potest, a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Synodi Chalcedonensis. Nec est necessarium, quod ad ejus expositionem faciendam Universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia &c.*

Majus aliquid inquit B. Albertus Magnus S. Thomæ Magister, qui expendens verba illa Christi *rogavi pro te &c.* aperte dicit, quod Successores Petri in nullum unquam errorem in Fide prolapsuri sint. Unde non miror, quod universa Facultas Theologica Parisiensis sub finem sæculi 14. paulo ante celebrationem Concilii Pisani, & Constantiensis, quasi Fidei articulum agnoscere professa sit Summorum Pontificum inerrantiam. Lege, si placet,

Digitized by Google

totius Universitatis verba ad Summum Pontificem directa, quæ refert Balæus Hist. Paris. ad ann. 1383.

Quæ cum ita sint, ut a nobis breviter iudicata sunt, fusiori calamo facile persequenda, si cætera, quæ nos premunt pro annua nostra perficienda relectione, permitterent, videat nunc æqui, justique prudens amator, utrum recte scripserit eruditissimus Duval clari nominis Doctor Sorbonicus, & in rebus Ecclesiæ Gallicanæ versatissimus: *Velint, nolint, liquido constat Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri Successoribus infallibilitatem semper agnovisse .... eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a 200. circiter annis (en Epocam Concilii Constantiensis), quibus in Ecclesiam horrenda Schismata irruerunt, cœpisse*. Sic scribit illustris hic Doctor lib. de Rom. Pontif. Et quis unquam e gentilibus suis ausus est Duvalium impugnare, cum palam, & coram suæ gentis Doctoribus constantem hanc tradiderit, typisque dederit limpidissimam veritatem? Nemo unus, quod sciam, id sibi negotii perfici posse judicavit. Quin potius eruditissimi Critici Aguire, Charles, & Serry a sæculo in sæculum descendentes insignibus demonstrarunt monumentis, ut testatur Cl. Zaccarias Antifeb. tit. 1. Dissert. 2. cap. 10. num 11.: *Episcopos Galliæ, & eorum Synodos, ac Universitatem Parisiensem, cæterosque inclytæ Nationis Theologos suum semper zelum pro inerrantia Pontificis commendasse*.

Quod confirmari etiam potest ex Facultate ipsa Parisiensi, quæ hujus rei monumenta reliquit etiam post Concilium Const. Nunc satis est paucula edicere. Primum enim damnatus est a Facultate Parisiensi ann. 1612. Edmundus Rickerius, ejusque doctrina, qui inter alia negabat etiam Rom. Pontif. inerrantiam. Et ipse Rickerius Facultati obtulit retractationem, qua inquit: *meam doctrinam subjicio Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ judicio, quam Matrem, & Magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnosco*.

Deinde modernus, & sapiens Scriptor Cl. Billuart suæ gentis Theologos Gallos non bene de inerrantia Pontificis sentientes validissime impugnans, id memoriæ dignum op-

Digitized by Google

portune notat, ann. scilicet 1629. præscripsisse formulam juramenti Facultatem Parisiensem omnibus Thesim defensuris, qua continebatur obedientia Romano Pontifici præstanda in Decretis Fidei; & cum unus aliquis, ut scribebat Servyus ann. 1732., Thesim judicasset corrigendam verbis illis *ex Ecclesiæ consensu receptis*, graviter eum fuisse a Facultate punitum. Præterea notæ sunt satis eruditis Theses Claramontani Collegii Parisiorum ann. 1660., quæ extant manuscriptæ in Bibliotheca Regia in tom. 2. in fol. illustrissimi de Marca Episcopi Parisiensis, quas etiam refert Sfondratus in Gallia vindicata Diss. 4. §. 2. Ex illis enim constat, in Sorbona 12. Oct. anno 1660. publice defensam esse Thesim istam: *Romanus Pontifex Controversiarum Ecclesiasticarum est Judex a Christo constitutus, qui ejus definitionibus indeficientiam promisit*. Et eamdem Thesim esse defensam in Universitate Navarrica 7. Octobris, testatur ipse de Marca.

CAPUT V.

Memorata Infallibilitatis sententia non modo fuit antiquior in Ecclesia Gallicana, verum etiam universalior.

Demonstrata, ut arbitror, antiquitate sententiæ, quam inter Gallos non opinionem, sed veritatem jure optimo appellat Duvallius, ad tempora veniamus Concilii Constantiensis, ex quibus (quis crederet?) firmabitur etiam universalitas, jam cœpta probari, sententiæ antiquissimæ. Enim vero si in Constantiensi Concilio apparuit, ut dicunt, Aurora luce sua signans veritatem (quamquam Aurora esse non potuit nisi ambigua, & obscura nimis, quæ nimbosis Schismatum temporibus poterat comparere), & definita est tamquam Fide certa Summi Pontificis fallibilitas, cur Doctor Gallus nuper laudatus scribit aperte post annos circiter 200. verba illa, clare oppositum testantia: *qui hanc veritatem impugnare conati sunt?* Non igitur erat apud Gallos certe sensatos post Constantiense Concilium articulus Fidei fallibilitas Papæ, cum esset apud eos certa veritas ejusdem infallibilitas.

Digitized by Google

Vix non eadem scribit Fleury Discursu 9. de Historia Ecclesiastica annis quasi 50. post Duvallium: *Vix*, inquit, *in Gallis invenietur Regularis, cui certa non sit Romani Pontificis infallibilitas. Nec Regulares solum, sed Congregationes etiam Sacerdotum Sæcularium, qui Privilegiis non gaudent, & Episcopis sunt subjecti, in eam eunt sententiam, utpote pietati magis conformem*; ut videas quo jure illustrissimus Gilbertus Choiseul Episcopus Tornacensis in proemio epist. ad Stayaer scripserit eo ipso tempore, quo celebrata sunt Gallicana Comitia, quorum declarationem sine scandalo, & indignatione audire non potuit: *Magna pars catholicæ gentis Galliæ, & totus, vel fere totus Mundus Christianus extra Galliam contrarium sentire videtur*. Crediderim unice scribere *magna pars*, ut odium 44 Episcoporum elevaret; nec enim dubitare poterat quid de infallibilitate Pontificis judicassent frequentia Episcoporum Comitia ante declarationem præfatam, ut jam demonstro.

Seligam aliqua, ex quibus aperte constet quænam fuerit Gallorum Præsulum sententia post Constantiense Concilium usque ad annum 1682., in quo edita fuit jussu Regis non sane libera aliquorum declaratio. In Comitiis Medolunensibus ann. 1579. celebratis ea legimus Cleri Gallicani judicium erga Pontificis inerrantiam non mediocriter commendantia: *Operam dabunt ii, quibus cura demandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vicarii, ut in omnibus tam Diœcesibus, quam Provinciis, singuli tum Clerici, tum Laici amplectantur, & aperta professione eam Fidem pronuntient, quam S. Romana Ecclesia Magistra, columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit*. Non aliter loquuntur Episcopi Gallicani Concilii Provincialis Aquensis ann. 1585. celebrati, vocantes (titulo *de Professione Fidei*) *Catholicam Fidem eam, quam Romana Ecclesia colit, & docet*. Ubi & additur: *Universos, qui aliquid, quam Catholica, Apostolica, ac Romana credit, & prædicat Ecclesia, credere, & pertinaciter asseverare ausi fuerint, velut hæreticos, & pertinaces, atque a communione Fidelium separatos declaramus*. Leguntur hæc tom. 21. Conciliorum Edit. Venetæ col. 939.

Digitized by Google

Multum etiam commendat infallibilitatem Successorum Petri Conventus Cleri Gallicani habitus ann. 1626., cum inter alia *moneat omnes Archiepiscopos, & Episcopos, ut Summum Pontificem revereantur, Caput visibile Ecclesiæ universalis, Vicarium Dei, Episcopum Episcoporum, & Patriarcharum, uno verbo S. Petri Successorem, in quo Apostolatus, & Episcopatus habuere principium, & super quem Jesus Christus ædificavit Ecclesiam suam, dans ei Claves Regni cum infallibilitate Fidei, ut videmus in Successoribus usque ad præsens tempus semper immutabilem miraculose durasse*. Clariora si quæras, lege Dupinii tract. de Potest. Ecclesiæ pag. 606. gallice scriptum, ubi de Comitiis ann. 1650. celebratis tum initio, tum fine hæc invenies exarata. Initio: *A cunctis retro sæculis Regni hujusmodi Galliarum Christianissimi Episcopos primariæ Sedi Apostolicæ tum amicitia, ut Fratres, tum obedientia, ut Filios, tum vero ut semper Orthodoxos Fidei communione conjunctos fuisse, & Vestra non ignorat Beatitudo, & nos fatemur universi*. In fine autem: *Is omnium nostrum sensus est, is animus singulorum, Romanæ scilicet Matrici Ecclesiæ per doctrinæ consanguinitatem jungi &c.* Ubi & multa dicuntur Fidei unitatem significantia Ecclesiæ Gallicanæ cum Ecclesia Romana, & Petri Successore, Christique Vicario.

Sed nescio utrum sit illustrius testimonium, quod nobis reliquerunt Episcopi Gallicani in Litteris gratulatoriis ann. 1653. datis ad Innocent. X., propterea quod nullo habito Concilio, & nullo requisito Episcoporum sparsorum consensu Cornelii Jansenii errores proscripserit auctoritate sua: *Sicut Ecclesia Catholica*, inquiunt, *sola Petri communione, & auctoritate fulta Decretali Innocentii Epist. Pelagianæ Hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit*. Exemplum item afferunt Apollinarii, & Macedonii a Damaso absque ulla Synodo damnatorum, firmissimam illam, quæ in re præsenti fundamentalis est, rationem adducentes: *Summum Pontificem divina, aque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex offitio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur*. Quia tamen nonnulli levioris ingenii, vel perversæ voluntatis scioli, seu refractarii litteras incaute dictatas esse prædica-

Digitized by Google

bant, descripta est Epistola, & actis inserta jussu Comitiorum, quæ duobus post annis celebrata sunt. Quod idem factum est in actis Gallicani Conventus ann. 1675., ac in postremis Cleri memoriis recusa legitur eadem Epistola, ut magis constaret posteris de maxima consultatione, & deliberatione matura, qua ab Episcopis conscripta fuerat.

Si vellem proferre singula, quæ in Comitiis ann. 1660., ann. 1663., & in sequentibus Successorum Petri demonstrant infallibilitatem, essem profecto longior, quam instituti mei scribendi ratio postulat. Ex his autem, quæ leviori calamo indicata sunt, satis, opinor, constat quod scribitur in Encyclicis ad Regni Galliarum Archiepiscopos, & Episcopos die 2. Octobris in Conventu ann. 1663.: *Obsequium, quod Sancto Patri exhibere consuevimus, Episcoporum Galliæ veluti hæreditas est.* Ubi sermo est de obsequio, quo mentis ipsius officium præstabant rebus per Sanctum Patrem de Fide declaratis.

Nec vero solum Galliarum Episcopi & verbo, & facto, tum singuli, tum congregati professi sunt continenter post Constantiense Concilium (ante, & post declarationem paucorum Præsulum fatalem) Summi Pontificis in rebus Fidei definiendis inerrantiam; sed ipsa etiam Facultas Parisiensis eamdem non obscure significavit, eamdem Doctores Sorbonici amplexati sunt, & alii etiam insignes e Gallica gente Theologi totis, ut inquiunt, nervis a noviter sentientibus vindicarunt. *Non obscure illam significavit* Academia Parisiensis; nam omissa condemnatione Riekerii, ejusque Sedi Apostolicæ submissione, formula juramenti a Facultate præscripta, & Thesibus Claramontanis, de quibus jam alias mentionem fecimus, notum est satis eruditis, Universitatem Parisiensem zelo Catholicæ Religionis congregatam hanc contra Lutherum propositionem composuisse, & jussu Francisci Galliarum Regis professam fuisse: *Certum est, unum esse jure divino Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur.* Ita testatur Auctor Vindiciar. Doctrin. Majorum Scholæ Parisiensis, qui & addit, neminem in Academia ad gradum promoveri, quin prius

dictam illam propositionem, seu articulum profiteatur. Jam vero obligatio, qua omnes fideles tenentur Supremo omnium obedire Capiti, præsefert ex intima sua natura, & conditione obligationem præstandi obsequium mentis internum Pontifici definienti, & obliganti ad credendum.

Duvallius in Disput. Quadripart. part. 2. pag. 215. *zelum etiam* commendat Academiæ Parisiensis pro Romani Pontificis auctoritate asserenda. *Laudabilis*, inquit, *in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri, protestationes præmittunt, se nolle quidquam contra Decreta Sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ asserere, & defendere: & siquid in æstu disputationis adversus ejusmodi Decreta illis exciderit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitio attribuendum velle*. Crediderim ex Parisiensi Schola, utpote cæterarum matre, morem hunc rationi consonum, & pietati conformem in aliorum Regnorum Scholas derivatum esse. Quod ego sæpissime præstitum vidi, nec semel ipse præstiti, pro exiguo mihi a Superioribus injuncto munere, in Salmantina Universitate statim post præfationem, quæ Scholasticis Concertationibus præmitti solet. Nec ulli unquam, apud Hispanos saltem, venit in mentem, huic erga Pontificem protestationi, & intimo erga definitiones ejus obsequio mentis limitationem apponere.

Nec alio in sensu protestationem accipi in Academia Parisiensi suadere satis clare videtur Decretum solemne, ab ipsa factum Sorbonica Facultate ann. 1659., quo sane declaratur suprema Pontificis auctoritas in universam Ecclesiam. En tibi Decreti formula, quam cum Pontificis fallibilitate non facile conciliabis: *Omnes, & singuli Magistri nostri palam, aperteque ore professi sunt, nihil se in Summorum Pontificum auctoritatem decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Immo vero omnes, & singuli, ut obedientiæ filii, ipsum Romanum Pontificem, ut Summum Jesu Christi Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis a Christo data est, cui omnes utriusque sexus obedire, cujus Decreta venerari, &*

pro se quisque tueri, & observare teneatur, ut semper agnoverunt, & confessi sunt, ita nunc quoque sincere, fideliter, & libenter agnoscunt, & confitentur. Quis hic non videat, in eo totius Facultatis solemni Decreto rectissime colligi ex Primatu Successoris Petri infallibilitatem ejusdem in definiendo, ita ut fideles omnes, quicumque sint, tandem obedire illi teneantur, & credere quod credendum esse præscribitur?

Nec jam mirum esse debet, si multi Doctores Sorbonici, Magistri, seu Regentes, ut dicunt, pro infallibilitate Summi Pontificis scripserint post Constantiense Concilium. Joannes de Celaya Hispanus, patria Valentinus, magni nominis Auctor, quique Cathedras rexit Parisiis in celeberrimo Collegio S. Barbaræ in 3. dist. 25. quæst. 4. quintam hanc proponit conclusionem: *Romanæ Sedis judicium in his, quæ Fidei sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare nequit, quod probatur ex promissione Salvatoris nostri.* Luc. 22. Nec dicas inepte prorsus, & contra communem sensum nomine *Romanæ Sedis* intelligendam esse complexionem omnium Fidelium Romano Episcopo subjectorum. Nam pergit Celaya inquiens: *quæ verba allegat Bernardus scribens Innocentio Papæ ..... idem asserunt D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Gregorius.* Qui sane Patres plane loquuntur de Successore Petri in ejus Cathedra sedente. Quod si adhuc dubitas, audi quæ addit ipse Celaya omne subterfugium etiam arbitrarium præcludens; quod nimirum eorum est rejicienda sententia, qui dicunt: *infallibilitatem esse penes Ecclesiam universalem tantum, & non penes Romanum Pontificem solitarie sumptum.*

Andreas Duvallius, de quo sæpe memoriam fecimus, exquisitæ Auctor eruditionis, & magni habitus inter Gallos ob ejus singulare ingenium, & judicium integerrimum part. 2. tract. de infallib. Pontificis quæst. 1. hanc statuit conclusionem: *Etiamsi de Fide non sit, Summum Pontificem seorsim a Concilio privilegio infallibilitatis, licet agat ut Pontifex, gaudere, id tamen absolute certum est, & indubitatum .... Nemo negare potest, quin hæc propositio, quod Pontifex ut Pontifex contra Fidem possit*

Digitized by Google

decernere, viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque præbeat dubitandi de multis, quæ jam toto orbe recepta ſunt, & a Pontifice judicata, quod non vacat ſpecie temeritatis. Et de ſententia aſſerente Papam eſſe ſupra Concilium pronuntiat coram ſuæ gentis in Jure, & Theologia Sapientibus omnibus: *Totus Orbis, exceptis pauculis Doctoribus, illam amplectitur.* Quam recte Duvallius ſcripſerit dicens, opinionem oppoſitam viam ſternere, atque munire ad inobedientiam, atque adeo ad dubitationem, exiſtimationem exiguam, ne dicam contemptum Apoſtolicæ Sedis, eventus ipſe vel oculos claudenti demonſtrabit. Legatur egregius, ut fertur, Berruyerii Tractatus, in quo ad examen revocat articulum IV. Declarationis Cleri Gallicani in lucem editus ann. 1783. cum facultate Rev. Fr. Vincentii Mariæ Maſſeti Ord. Prædic. Vic. General. S. Officii Firmi; ubi quæ ſapiens Duvallius prævidebat abſurda, dubitationes, inobedientias, & damna, expectationem omnem decurſu temporis ſuperaſſe, veri, æquique amans Lector inveniet, eoque tendere Declarationem perſpiciet, ut nullum ſit omnino Fidei tribunal pro puritate doctrinæ conſervanda.

Idem tradidit ac Duvallius Leonardus Coquæus Pariſiis Doctor Theologus in ſuo Antimornæo, quod opus Ludovico XIII. dicavit ann. 1616. Nam Tom. 2. p. 2. plane tradit Pontificis infallibilitatem affirmans: *Sacra Concilia, & omnes Patres Romano Pontifici ſemper plurimum detuliſſe, & in controverſiis Fidei ſupremum illum Judicem agnoviſſe.* Et loquens part. 83. contra Philippum Mornæum, alioſque Calviniſtas: *Quomodo*, inquit, *ægre ferunt, nos Romanum Pontificem Conciliis ſuperiorem aſſerere? Et* (quod) *Romano Pontifici, & Conciliis Œcumenicis in Spiritu S. legitime congregatis tantum deferimus, ut nec illum, nec iſta in definiendis quæ ad Fidem, & mores, ac regimen Eccleſiæ ſpectant, errare poſſe aſſeramus? &c.*

Sorbonicus Doctor Michael Nanclerus infallibile judicium Papæ in rebus Fidei definiendis dilucide probat in libris de Monarchia Divina, Eccleſiaſtica, & Sæculari Chriſtiana, Lutetiæ Pariſiorum ann. 1622. editis, & Gre-

Digitized by Google

gorio XV., ac Ludovico XIII: Galliarum Regi dicatis. Audiatur ille in part. 2. lib. 4. cap. 4.: *Romano*, inquit, *Pontifici supremum judicium determinandi ea, quæ sunt Fidei, debetur ..... Hæretici, Schismatici, & impii, quicumque in illum Decreti Pontificii murum inexpugnabilem rebelles, ac increduli arietare contendunt, jure meritissimo censebuntur.* Eamque communem esse in Schola sententiam affirmat his verbis: *Hæc illa communis sacræ sapientiæ Professorum, quæ docetur in Scholis, assertio, disputationem, causarumque de Fide cursum, motumque Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis consopitum judicio finiri.* M. Bail annis septem ante Cleri Declarationem in lucem emisit duobus prægrandibus tomis illustrem Summam Conciliorum, in quibus Doctor hic Theologus, ac Pœnitentiarius Parisiensis in omnibus sequitur S. Thomam circa auctoritatem, & infallibilitatem Romani Pontificis. Nec hic opus est afferre verba, ex quibus inerrantiam Pontificis demonstrat, & superioritatem supra omnia Concilia.

Sub idem fere tempus prodiit opus gallicum Jacobi Venantii ex inconcussis principiis asserentis, ac vindicantis auctoritatem Pontificis, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Mendicantium. In ejus operis Epistola Dedicatoria statim dicitur: *Unici est Summi Pontificis emergentia circa Fidem dubia infallibilis veritatis oraculo tollere, & explanare, nec continuo indictis ad hoc ipsum Conciliis.* Quæ Auctor profert in opere, conformia sunt iis, quæ in Dedicatione præmiserat. Scio in ejus generis opus censuram quamdam non bene sartam prodiisse sub nomine Facultatis Theologicæ Parisiensis. Sed tamen adverto, Alexandrum VII. ann. 1665. sept. kal. Jul. motu proprio, ex certa scientia, deque Apostolicæ Sedis plenitudine severissime illam damnasse, cassasse, & irritasse, imposita excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrenda, & Sedi Apostolicæ reservata, cuicumque illam sequenti, defendenti, docenti, aut alleganti. Dionysius Amelotus Doctor Gallus Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi in Proemio in Defensionem Constitut. Innoc. X., & Alex. VII. invehitur gravissimis verbis contra obloquutores Pontifi-

Digitized by Google

cum Definitionum, quasi nimirum ortæ essent ab auctoritate fallibili. Quod idem agit perinsignis Auctor libri inscripti *Jansenius Suspectus*, qui negatores infallibilitatis Romanæ Sedis *bellicum*, ait, *canere ad omnem Fidei Catholicæ, Divinique Officii proditionem*. Nec minorem tenet locum inter Doctores Sorbonicos præstantissimus Theologus, doctrina solida, facilique dictione commendandus Ludovicus Abelly, factus postea Episcopus Ruthenensis, qui strenue defendit infallibilitatem Pontificis 1. part. Medull. Theolog. cap. 4. sect. 1. §. 4. concludens: *Ex quo sequitur, ad illum* (Pontificem) *pertinere de rebus ad Fidem, & Religionem spectantibus juridice cognoscere; majores causas, quales sunt Fidei, ac Religionis, dijudicare, hæreses emergentes damnare; veritates Fide Divina credendas definire, ipsique omnes ubique terrarum Fideles in his, quæ ad Fidem, & Religionem spectant, subesse debere, ac vocem illius tamquam Supremi Pastoris auscultare*.

Theologos alios Gallos, & Episcopos ejusdem nationis pietate, & sapientia claros facillimum esset adducere. Nec tamen committam, quin S. Franciscum Salesium non minus cœlesti sapientia, quam sanctitate illustrem collaudem pro infallibilitate Pontificis. Eam quippe tradit lib. 2. amor. div. cap. 4. dicens: *In Conciliis Generalibus disputationes pro indaganda veritate, adhibitis discursibus, rationibus, & argumentis theologicis instituantur; res autem hujusmodi disputationibus ultro, citroque agitatæ, a Patribus, idest ab Episcopis, specialiter vero a Summo Pontifice concluduntur, & determinantur*. Et in discursu 32. invehitur contra eos, qui promissiones a Christo factas Petro: *dico tibi*, *dabo tibi*, dicunt a Petro acceptas esse nomine totius Ecclesiæ. *Sed quid*, inquit, *fecerunt? Hoc cæpere consilium, ut dicerent, S. Petrum hanc promissionem a Domino nostro accepisse nomine totius Ecclesiæ, non quod propterea acceperit privilegium aliquod particulare in sua persona. Jam vero si hoc non est violare Scripturam, nunquam homo illam violabit*.

Quem in sensum loquitur Robertus Cenalis Abricensium in Normannia Episcopus lib. 2. de oblata ab hæreticis conditione; Franciscus de Raconis Episcopus Vabrensis

lib. de Primatu sect. 1. cap. 5. §. 6., *robur statuens infallibilitatis in Supremo Ecclesiæ Monarcha*; Nicolaus Cœffetau Marsiliensis Episcopus egregie firmans, & elegantissime explicans in suis adversus conflatam a Marco Antonio de Dominis Rempublicam Apologeticis: *Summum Petri Successorum imperium, & infallibilitatis prærogativam super omnem Christianum orbem, & quamcumque Synodum Generalem;* Bernardus Rossergius Archiepiscopus Tolosanus, & Guillelmus de Montoye Episcopus Bitterrensis, qui Concilii Basileensis doctrinam de superioritate Concilii supra Pontificem, durante adhuc illa tempestate, reprobaverunt. Qui ultimus a Rege Franciæ consultus illud ei inter alia monitum salutis dedit: *ne permitteret in suo Regno audiri Concilium Basileense, sed ut in omnibus S. Rom. Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi fieret adhæsio*. Vide Spondanum ad ann. 1438., & Petrum Matthæum Historicum Galliæ, qui fol. 118. opinionem Gallorum de excellentia Concilii supra Pontificem rejicit *ut periculosam, & radicem Schismatum*.

Jam vero prudens Lector inspiciet quas egerit in Gallia radices prætensa Concilii Constantiensis definitio. Non loquor de cæteris toto terrarum Orbe sparsis Nationibus, non de Hispania, Italia, Germania, Polonia, & de Patribus, qui interfuere Concilio; nam omnium fere Nationum Theologi, & Legis utriusque cultores adeo prætensam non observarunt definitionem, ut eorum plurimi sententiam veram, antiquam, & universalem scriptis firmarint, & typis quid ipsi sentirent, manifestarint. Loquor de Gallia ipsa, in qua nec novi quidquam notatu dignum evenire visum est apud potiorem Theologorum partem, quod satis constare videtur ex intimis Episcoporum judiciis supra descriptis, & ex Doctoribus Gallicis nuper laudatis. Non tamen contentiose negaverim, Gersonem, Ailly, & paucos alios Theologos post illa periculosa, & schismatica Concilii Constantiensis tempora Pontificis Summi infallibilitatem impugnare cœpisse, sed vero eos parum sibi esse constantes, & omnino non cohærentes, observarunt homines sapientissimi. Nam primus omnium sane princeps, seu Coriphæus aperte fatetur, Fidem Roma-

Digitized by Google

næ Sedis fuisse semper, & futuram immaculatam, nec unquam defecturam. Lege illum, si placet, in lib. de Potest. Ecclesiast. consideratione 9., & in tract. de Statibus Ecclesiæ tit. de Statu Prælat. considerat. 13., ubi etiam tradit, quod Status Episcopalis habet rationabiliter Monarcham supremum, scilicet Papam, ratione unitatis Fidei, ut vel hinc videas quam bene laudet Febronius cap. 2. §. 5. num. 11. Gersonem quasi regimen negantem monarchicum in Ecclesia, & quam vere Novatores ex eodem argumententur: cadente Romani Pontificis Monarchia, cadit ejus infallibilitas: at illa cadit ex Gersone; ergo cadit & ista. Falsum est igitur Gersonem negasse unquam Ecclesiæ Monarchiam. At verum est, illa semel admissa pro Fidei unitate conservanda, non esse sibi Gersonem consentientem. Quo ergo pacto unitatem Fidei sustinebit, in qua Monarchia spiritualis fundatur, si jubente Summo Monarcha, ut id ex unitate Fidei credatur, Fideles definitioni resistere possint, & non credere? Eadem reflexio statim occurrit menti contra Ailly, qui testatur, in Sede Romana nunquam esse Fidem defecturam. Unde non possunt illi non incurrere incohærentiæ notam, si doctrinam ipsi suam extendant ad definitiones Pontificis loquentis ex Cathedra. Ut ut sint ea, dici verissime potest, non tam illos post se Gallias traxisse, quam gentis suæ criticam invenisse, ut constat ex Fleury, Duvallioque, & tot replicatis Episcoporum Comitiis nuper exaratis, ac Theologis ejusdem nationis supra laudatis.

At Gallicana Comitia declaraverunt aperte anno 1682. Pontificiam fallibilitatem. Ita quidem est. Facta est declaratio, quam objicis; sed falsum est primo, quod illa sit conformis antiquæ, & universali Gallicanæ Ecclesiæ traditioni. Falsum secundo, quod fuerit ea facta vel a media Episcoporum parte. Falsum tertio, quod per eam facta fuerit nova quædam opinandi ratio communis inter Theologos ejusdem nationis. Falsum tandem, quod facta fuerit declaratio exquisito consensu Ecclesiæ Gallicanæ; nam potior Episcoporum pars Comitiis non interfuit, & eorum deliberationem, atque consensum declara-

Digitized by Google

tio præripuit. Judicet nunc non male comparati animi quicumque judex quæ quibus Comitia præferenda sint. An hoc extremum non certe liberum, non completum, non conforme antiquæ traditioni; an tot illa omnino libera, magis completa, & traditioni Ecclesiæ Gallicanæ consentanea. Sed vero id magis declarabimus Capite sequenti, ubi oppressum fuisse per id temporis liberum Gallorum sentiendi modum, demonstrabimus.

CAPUT VI.

Sententia de inerrantia Pontificis est liberior in Gallia.

Quanti sit momenti in recto judicio libertas, nemo ignorat; hæc est enim, quæ sententiæ, vel opinioni auctoritatem conciliat. Nam si vel mille Doctores unius jussu præpotentis congregati, quod animo jubentis arridet, ac voluntati, declarent, non plurium Doctorum declarationem, seu opinionem repræsentant, sed unius tantum jussum, libitum, aut opinionem ostendunt. Porro ex Defen. Declarat. edita Amstelodami (statim post præfat.) illa, ut insinuavimus, omnino perlegimus. Primum, jussu Regis non pacati Episcopos fuisse congregatos; alterum, pacem Ecclesiæ Gallicanæ esse aliquo modo concussam, ignorante nemine dissensiones inter Regem potentissimum, & firmissimum Pontificem. Tertium, vix tribus expletis diebus Decretum Regium exiisse, & a Senatu fuisse protinus roboratum, nec exquisito, nec expectato consensu majoris partis Episcoporum. Egregia porro in decernendo libertas! Sed quid in Regio Edicto continebatur? Illud profecto, quod quantulamquamque libertatem penitus extinxit. Prohibetur subditis omnibus, & in Galliarum Regno habitantibus quidquam scribere Declarationi contrarium, & Doctoribus Theologicis indicitur, ut doctrinam teneant Declarationis, eamque singulis edoceant annis, atque ut Scholares, & promovendi ad gradus eam nulla relicta libertate defendant. Nec in eo tantum Edicti Regii vis, & prohibitio continetur. Prælatis insuper Ec-

clesiasticis intimatur, ut omnem suam auctoritatem, & industriam collocent in inveniendis rationibus, quibus doctrina contra Papæ infallibilitatem per eorum respectivas Diœceses universim tradatur. Quid sentiendum est homini æquo, & veritatis amanti de hujus generis arctissimo Regis Decreto? Eratne tunc temporis in Gallia sub severissimo Edicto libera, spontanea, & pacifica opinandi ratio in veritatem inquirendam unice intenta, an potius oppressa, suffocata, & extincta, quæque alterius ductum præpotentis cæco impetu sequebatur?

Merito igitur Taurinensis Doctor Soardi in sua *Hodierna Ecclesiæ Gallicanæ Doctrina de suprema Romani Pontificis Auctoritate* Tom. 2. lib. 4. cap. 3. dies illos Galliæ procellosos commemorat scribens: *Hi sunt nebulosissimi dies, quos sine dolore Religio nunquam recogitet*, ubi recte notat, *nullum ibi intervenisse veritatis amorem, aut æqui, rectique inveniendi desiderium. Quo jure*, inquit, *qua æquitatis lege Episcoporum sensus ex iis expiscamur monumentis, quæ non nisi commotis, & calentibus animis posita sunt . . . . . quæ per metum, & rixas obiter effusa sunt? Nunquid non ea respui jubet amans æqui prudentia? . . . . . Ad illud unum recurris factum, quod perturbatis animis, ac simulantibus originem refert. Ecquæ amabo in illa agendi ratione æquitas, quæ sinceritas, qui veritatis amor?* Verba sunt ista Germani Franci in veritatem intenti.

At inquiunt eamdem crambem recoquentes: quas rationes habuerunt Episcopi pro solemni Declaratione facienda contra infallibilitatem Pontificis, non potuerunt illæ non esse urgentes, & invictæ; nec enim credibile est, tot Episcopos & pios, & sapientes, quos inter sapientiæ prodigium illustrissimus Bossuetius, adblandiri Regi voluisse, veritate neglecta. Accedit, eumdem clarissimum Bossuetium, cui sapientia, & doctrina parem tunc temporis neminem Gallia reputabat, defendendarum Declarationum provinciam suscepisse. Audio quod dicitis; sed illud non ignoro, Episcopos ipsos metus sibi incussos, & quidem graves in sinum paternum Summi Pontificis effudisse in litteris datis ad Innocent. XI., in quibus ita loquuntur:

Digitized by Google

Quam consecrandi fecimus Apostolicæ Sedi canonice professionem, ea nos impellit, ut quæ Parisiis jussu Regio congregati gessimus, ad Apostolatum vestrum referamus, gravesque metus nostros paternum in sinum effundamus. Intellexit protinus metus gravissimos Innocentius, nec eos dissimulavit; quin & ad eosdem rescribendo, prudenter omnino, & opportune animadvertit: *quod metu suasore nunquam Sacerdotes Dei esse solent in ardua, & excelsa pro Religione, & Ecclesiastica Libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes.*

Hæc Innocentii Epistola legitur apud Emin. Sfondrat. in Gallia vindicata Dissert. prima §. 8. Docum. 59., qui in alio opere de regali Sacerdotio lib. 4. §. 5. num. 4. describit aliam ad Innocentium XII. Epistolam, in qua, sibi rediti haud pauci Episcopi Declarationum Auctores, hanc scribunt solemnem retractationem: *Cujus quidem rei* (aditus in gratiam Pontificis interclusi) *cum eam fuisse rationem perceperimus, quod nos Cleri Gallicani Comitiis ann.* 1682. *Parisiis habitis interfuerimus, idcirco ad pedes Vestræ Beatitudinis provoluti profitemur, & declaramus, nos vehementer quidem, & supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis prædictis, quæ Sanctitati Vestræ, ejusque Prædecessoribus summopere displicuerunt, ac proinde quidquid in eisdem Comitiis circa Ecclesiasticam Potestatem, & Pontificiam Auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, & habendum esse declaramus.* Quid planius? Quid a prædictis Episcopis desiderari ultra posset ab integerrimo judice sincerius, & efficacius? Nonne ista satis ostendunt, præceps illud, ac inconsideratum Comitiorum Decretum ab avitis Cleri Gallicani observantiæ sensibus, & ab Ecclesiæ antiquitate, universalitate, ac libertate esse maxime alienum?

Nec Episcopi tantum sic ad Pontificem scripsere, pedem, ut par erat, retro referentes, sed magnus ipse Ludovicus Regium Edictum infirmavit, ut patet ex litteris ad Innocentium XII. datis Versaliis 14. Septembris ann. 1692., in quibus ait: *Gratum mihi ultra modum est, quod reddere possim certiorem Sanctitatem Vestram, jam esse a*

Digitized by Google

me omnia disposita, & statuta, quæ necessaria sunt, ne ullum habeat effectum Edictum meum diei 2. Maji 1682.

At de Meldensi Episcopo perinsigui Bossuetio quid tandem dicendum nobis est? Dici multa possent; sed ea sint satis, quæ obiter animadverto. Primum, magna semper in existimatione habitum fuisse in Galliis Jacobum Benignum Bossuetium ob egregia, quæ couscripsit, opera contra hæreticos; sed fuisse hominem non unius tantum erroris capacem, quod non in eo tantum argumento, si sua esset Declarationis Defensio, sed etiam in aliis, paratus sum demonstrare. Quis enim æquis auribus audiat propositiones illas, quæ ipsi sunt elapsæ, dum primo impugnare conatus est Episcopum Cameracensem? Nec enim credendum est in omnibus ejus Panegyristæ Burignio. Profecto recens, & accuratus Scriptor Histor. Ecclesiast. Canonicus Noyon Berault lib. 82. edit. Paris. apud Motard rem plane conficit, & pag. 265. duo hæc in Bossuetio animadvertit. Primum, quod in suis instructionibus *de orationis statibus* statuit, *non aliud in suis actibus motivum habere charitatem, quam spem. Qua in re apud plerosque Theologorum male audivit, & ab Episcopo Carnutiensi potissimum derelictus est*. Et infra: *Meldensis Episcopus aliam ex eo tempore loquendi rationem inivit a priori diversam*. Alterum, quod in opere - *mystiques en sureté* - *visus fuerit peritis multis incidisse in sacrificium illud absolutum, quod magnum videbatur esse crimen Cameracensis*. Biner in apparat. 8. tom. agens de controversia inter Meldensem, & Cameracensem, scribit: *Cum videret omnes ferme Theologos, & Scholas huic suæ doctrinæ* (quam prius scripserat) *esse contrarios, multum de sententia sua remisit in decursu*. Et sane Cl. Lareguera, qui Romæ tunc erat, cum præfata discutiebatur controversia, in sua Theologia mystico-scholastica notavit, edixisse censores operæ Fenelonis, quod si Bossuetii contra Cameracensem scripta, quæ discussa non sunt, ad examen essent revocata, censuram fortasse incurrissent propter extremum oppositum. Fateor hoc Laregueræ dictum non in omnibus editionibus inveniri.

Deinde negari a nemine potest, non illum laborem De-

fensionis conficiendæ suscepisse Bossuetium, nisi Regis, cui erat cordi Defensio, jussu, imperio, auctoritate. Quod vides quam sit incommodum veritati ab homine sapiente cæteris persuadendæ. Accedit, rationes Declarationis non esse in lucem editas nisi post annos multos, cum jam e vivis excesserat Bossuetius. Tandem cur illæ rationes post Declarationem excogitatæ, corrosis hinc, & inde Pontificum sine discrimine erratis, ita clanculum editæ sunt, & non potius Episcopis propositæ ad judicandum, priusquam ederetur Declaratio? Hæc omnia plane demonstrant, periculum fuisse in eo, ne causa omnino caderet Declaratio, quæ tamen, si per se loquebatur, egere non videbatur defensione, & apologia.

Profecto, ut primum sparsus est in Gallia rumor Defensionis perficiendæ, videtur mihi Clerus non certe gestiisse lætitia, ut loquar cum Cl. Noghera in reflexion. 13. circa infallib. Pontif., sed mœstus potius fuisse, attonito similis, & taciturnus; nam animo Regis mox pacato, rigoreque Edicti mitigato penes partem docendi positivam, quod singulis annis edocendum erat, Clerus ipse, quoad ipsi tacere permissum est, non est universim locutus contra Pontificis infallibilitatem. Nec dubitare fas est, hoc Cleri silentium manifeste indicare intimam Galliæ persuasionem de inerrantia Pontificis, ut nos supra Fleury monebat. Id autem non modo verum fuit in inferiori Clero, aut in inferioris subsellii Theologis. Memorabile factum, quod annis vix 17. post Declarationem editam Gallia ipsa conspexit, quid superiores Theologi, quid Prælati Regni totius, quid ipse Bossuetius in argumento sentirent, luce clarius meridiana monstravit.

Nota est omnibus acris controversia nuper insinuata inter duos Galliæ celebriores Episcopos memoratos Bossuetium, & Fenelonem propter aliquas opiniones singulares, quas hic ultimus innocenter sparserat, & bona fide inseruerat in libro inscripto - *explication des maximes des Saints* -. Multa hinc, & inde, ut fieri sæpe solet pro studio partium, scripta confecta sunt, altera pro Meldensi Episcopo, pro Cameracensi altera. Divisis sapientibus, diviso Clero, atque diviso populo, nihil tandem in re, ad

Fidei tamen dogma pertinente, ratione poterat, vel auctoritate definiri. Quid tandem? Communi partium consensione conventum est, ut Cameracensis liber ad Pontificem Summum deferretur, & supremum Successoris Petri judicium expectaretur. Innocen. XII., qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, librum maturo subjecit examini, judicium tulit, tres supra viginti propositiones damnavit, & ad Gallias proscriptionem misit. Hic sane intima Gallicæ gentis persuasio pro infallibilitate Pontificis, si unquam alias, eluxit. Nam Episcopus Cameracensis non minori pietate clarus, quam doctrina conspicuus, memorabili heroicæ humilitatis exemplo, non modo adhæsit simpliciter, absolute, & sine ulla restrictionis umbra Pontificiæ definitioni, sed populo ipse suo, ore proprio, & ex edito loco publice legit, & declaravit Pontificiam suarum propositionum damnationem; & in Mandato, quod edidit hac super re, suam animi docilitatem ostendit verbis illis fidelissimo Ecclesiæ Præsule dignissimis: *Absit ut unquam nostri mentio fiat, nisi forte ut meminerint Fideles, Pastorem infima gregis ove se dociliorem præbendum duxisse, nullumque ab eo obedientiæ limitem esse positum.* Quid ad hæc Bossuetius, quid cæteri Episcopi, quid Theologi, quid tandem universus Galliæ populus? Plausere omnes, & heroicum tanti Præsulis facinus voce, litteris, & scriptis posteritati reliquerunt, & Cleri Comitia sequentis anni 1700. in processu verbali æternum memorandi facti monumentum consignaverunt.

Nec vero omittendæ sunt circumstantiæ notatu dignissimæ, quæ in acceptatione hujus Pontificiæ Constitutionis in Gallia sunt observatæ. Ut enim opportune notavit Auctor operis – *Memoires Chronologiques & Dogmatiques depuis* 1600. *jusqu'en* 1716. – *recepta est omnino præfata Pontificis Constitutio, quamvis esset dumtaxat in forma Brevis, nec ad Episcopos Regni Gallicani directa: quamvis in Constitutione ipsa duo illa omittantur, & quod a Galliarum Episcopis expetita fuerit, & a Rege ipso requisita; quamvis binæ clausulæ . . . Nulli ergo . . . & . . . Si quis autem . . . . in Brevi desiderentur. Et e contra, etiamsi esset in Constitutione expressa formula . . . motu proprio.*

Digitized by Google

Recepta tamen est Constitutio nullo prætexto obtentu Gallicarum libertatum, & ita accepta est, ut in Concilio Provinciæ Arelatensis Archiepiscopus dixerit, *admiratione dignum esse Sanctissimi D. N. Papæ zelum, studiumque, quo rem adeo momentosam, & difficilem finiverat;* & Cœtus Provinciæ Bituricensis *finale* quoque *Romani Pontificis Decretum* professus fuerit. Eodem fere sensu locuti sunt cæteri Galliarum Antistites, de quibus universim scripsit Cameracensis ipse, cum esset Conventus suæ Provinciæ Præses: *post causam a Pontifice judicatam non aliud possunt ipsi, quamvis judices ad docendum nati, ferre judicium, quam simplicis adhæsionis judicio Sedis Apostolicæ, Constitutionem acceptando*. Quod idem suos docuit illustrissimus Abellius in Documento Pastorali dato eodem anno, scilicet *non se judiciaria qualitate Episcopos exuere, cum acceptantes Pontificis, vel Œcumenici Concilii definitionem judicant id ipsum, atque decidunt, quod infallibiliter a Pontifice, vel universali Concilio judicatum, ac decisum est*. Hæc autem Episcopi; Rex vero Galliarum adeo non obtendit Gallicas libertates, ut potius scripserit statim ad Summum Pontificem his verbis . . . . *Sollicitudo, qua apud Vestram Beatitudinem egi, ut quantocius negotio ipsi finem imponeret, inde ortum habuit, quod apprime noverim quantum Ecclesiæ detrimenti ipsum minaretur. Ab Ecclesiæ ipsius tranquillitate, quæ maxime mihi cordi est, cuique Beatitudo Vestra Decreto suo consuluit, compellor, ut ideo gratias quam maximas Beatitudini Vestræ referam . . .*

Quam pulchre, glorioseque facto prævenit venerandus Antistes Fenelonius quod in Mandato Pastorali pro Clement. Constitut. *Vineam Domini* conscribit inquiens: *Taceat humana temeritas, ubi semel auctoritas Petri Apostolorum Capitis divino confirmata oraculo locuta est; immo nec taceat solum; sed etiam intellectum suum in captivitatem redigat in obsequium Christi, quem repræsentat Romanus Pontifex*. In eumdem Fenelonis sensum locuti sunt Galliarum Antistites post fatalem ann. 1682. Qui voluerit ipse propriis inspicere oculis quæ concorditer asserunt, firmant, repetunt, & inculcant circa Pontificiam infallibilitatem, legat laudatum opus *de Hod. Eccl. Gallic. do-*

Digitized by Google

ctrina circa supr. Rom. Pontif. potestatem: ibi leget effata illa ex tota retro antiquitate desumpta: 1. *Petrus in Sede sua semper docebit*. 2. *Petrus in Romanis Pontificibus semper vivit, & loquitur*. 3. *Romanus Pontifex est oraculum veritatis*. 4. *Apud Romanos Pontifices, & quidem solos incorrupta PP. servatur hæreditas*. 5. *Sedes Apostolica est oraculum veritatis*. 6. *Est centrum veritatis*. 7. *Est Cathedra veritatis*. 8. *Hæresim non agnoscit, semper est Virgo, illius Fides futura Fides Ecclesiæ*. 9. *In Sede Apostolica Fides non potest sentire defectum*. 10. *Illius responsa in omnibus Fidei quæstionibus sunt salutaria*. Hæc autem, & alia id genus innumera in laudato opere reperies, adhibitis Antistitum annotationibus libro 1. cap. 7. p. 115.

Ex his constat quam sit inanis distinctio, ab hæreticis ad escludendas Petri definitiones inventa, inter Apostolicam Sedem, & Successorem Petri, quasi nimirum Ecclesia Gallicana illis præstiterit fundamentum, cum æque loquantur Episcopi, ut æquum est dicere, de Successore Petri, de Romano Pontifice, de Ecclesia Romana, de Sede Apostolica. Quin potius Galliarum Antistites hoc Novatorum inventum alte rident. Sit satis inter alios illustrissimus de Calonge Aptensis Episcopus in suo Mandato *contenant declarations &c.* dato die 20. Decembris sic scribens: *Ne immoreris in hac distinctione abstracta, & ab hæreticis ad eludendam ipsorum damnationem inventa, quam Cyprianus numquam cognovit, cum pronuntiet quamlibet Ecclesiam in suo esse Episcopo* (Ecclesia in Episcopo), *distinctione, inquam, a S. Petro Damiano proscripta, qui Romano Pontifici olim dicebat: tu ipse es Sedes Apostolica, tu es Ecclesia Romana &c.*

Ex iis, quæ a nobis dicta sunt hactenus de communissimo, & libero sentiendi modo circa infallibilitatem Pontificis, nemini jam mirum esse debet quod illustrissimus Petrus de Marca in suis circa Theses Claramontanas observationibus scripserit num. 31.: *Hæc opinio* (de infallibilitate Pontificis) *est illa, quam unice Hispania, Italia, atque omnes Christianitatis Provinciæ docent, ita ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum referenda sit, quæ solum tolerantur . . . .*

Digitized by Google

Auctoritas infallibilem sententiam in causis Fidei pronuntiandi est Romanis Pontificibus omnium Universitatum consensu adquisita. Et num. 30. de Doctoribus Galliæ: *Pars major non solum Theologiæ, sed etiam Juris Doctorum communi opinioni adhæret, utpote fundamentis nixæ solutu difficillimis, ridetque antiquæ Sorbonæ opinionem*. Quibus ultimis verbis satis indicat improbabilitatem hujus ultimæ Gersonis, & Ailly opinionis.

Sed juvat persequi longius non modo sententias, & verba Comitiorum Cleri Gallicani, & Præsulum testimonia, sed etiam facta, gestaque Episcoporum in recipiendis definitionibus Pontificiis, ut de illorum intimo sensu, & communi sentiendi modo nemo unus ambigat, nisi qui veritati perspicuæ factorum successione confirmatæ, compressis de industria oculis, & obturatis auribus, contradicere velit omnino pertinaciter. Omissa definitione Innocen. XII. super causa Fenelonis, de qua supra, quam sane inclitus ipse propositionum proscriptarum Auctor statim recepit non hærens, non dubitans, non consulens, & quidem ea celeritate, ut de proscriptione Romæ publicata 13. Martii mandatum ediderit submissionis, obedientiæ, & retractationis die 9. mensis sequentis, veniamus ad duas celebres Constitutiones Clementinas *Vineam Domini*, & *Unigenitus*. In prima illa recipienda, & in obedientia illi præstanda adeo se solicitum prætulit Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis ann. 1705. Parisiis congregatus, ut Constitutionem Romæ publicatam die 16. Julii ejusdem anni, & ad Episcopos Galliarum transmissam die 3. Augusti cum integra submissione, & unanimi consensione susceperit, & acceptarit die 22. ejusdem Mensis. Quæ omnia habentur in processu verbali Comit. gener. Cleri Gall. ann. 1705. pag. 159., & 216.

Nec dissimulandum est mihi, addidisse Episcopos in vero Decreto, Pontificia de Fide Decreta tunc Ecclesiam universam obligare, cum a corpore Pastorum *acceptata fuerint*, & acceptationem istam fieri debere *modo judiciario*. Quæ verba cum Clementi XI. minime placuissent, emollienda fuerunt, & explicanda, sic ut in dubium nequaquam verti posset infallibilitas Pontificia. Unde Cardinalis

Digitized by Google

Noailles Comitiorum Caput, & Præses Deputatorum, nomine omnium litteras misit ad Clementem XI. circa ea, quæ 20. Martii 1710. in deputatione solemni constituta sunt. Porro litteræ visæ sunt, & approbatæ a Domino Portchartrain Regni Cancellario, & a Domino Requesau Procuratore Generali, & tria illa continent, intimum Episcoporum sensum exprimentia. Primum, Clerum Gallicanum ann. 1705. *eadem, qua pridem cæteræ Pontificiæ Constitutiones acceptatæ fuerant, Clementis XI. Constitutionem .... Vineam Domini veneratione, & obedientia acceptasse*. Aterum, *clausulam illam, cum ab Episcopis acceptatæ fuerint, non ideo fuisse positam, quod Præsules putarent, acceptationem Episcoporum necessariam esse, ut Constitutiones Pontificiæ a Fidelibus omnibus tamquam regulæ Fidei suscipiendæ essent; sed ideo tantum adjunctam, ut Jansenistis omnis omnino aditus præcluderetur, & quod ipsi admittunt, id in eosdem apertissime intorqueretur*. Tertium, *de judiciaria acceptatione non ita intelligi debere, ac si Episcopi crederent, velle se sibi, ac in suo tribunali Decreta submittere Pontificia, sed unice significare, quod judicio Pontificio sua eorum judicia essent omnino conformia, unde & judicabant, ut dicitur, judicio adhæsionis id, quod jam erat a Pontifice decisum, & judicatum*. Litteras Cleri probavit omnino Rex Galliæ in Epistola, quam iis adjunxit ad eumdem Clementem. Vide item duplicem Libellum a Clero oblatum Philippo Aurelianensium Duci Regni Moderatori ann. 1717., ubi in primo dicitur: *Inviolabiliter adstricti Apostolicæ Sedis vinculis, quæ Christus ipse formavit, conservabimus intimos obsequii sensus, qui jure illi denegari non possunt*. In altero vero: *nos conservabimus, ut cum S. Cypriano loquamur, unitatem in Ecclesia, nunquam nos dividentes a Cathedra, quam Deus instituit, ut illius unitatis esset centrum*.

Altera est Constitutio *Unigenitus*, qua multiformes Quesnelli errores simulato devotionis contecti velamine solemniter proscribuntur. Ad quam eo magis accedo animo libenti, quo audivi recentius ab imperitis quibusdam jactari hic ante oculos nostros, eam non esse acceptatam a Galliarum Episcopis, nec in Ecclesia Gallicana receptam.

Digitized by Google

Quousque tandem non deducit ex cæcitate obstinata temeritas! Quis est enim tam peregrinus in Ecclesiæ Gallicanæ fastis, qui nesciat, præfatam Constitutionem *Unigenitus* non solum esse receptam, & acceptatam debita cum submissione, & veneratione ab omnibus Regnis, Episcopis, Tribunalibus, & Academiis totius Orbis Catholici *tamquam judicium dogmaticum, & irreformabile Sanctæ Sedis*, sed potissimum in Gallia id esse peractum majori, ut dicam, solemnitate, & mirabili Episcoporum consensione, cum e 114. Præsulibus quinque tantum eam renuerint acceptare ad futurum Concilium appellantes, quos inter Eminentissimus Cardinalis Noailles, qui opera Quesnelli probaverat, manus tandem Pontifici dedit, Benedicto XIII. se subjiciens, veniam pro re inconsiderate facta deprecans, & heroico exemplo retractans sine restrictionis specie, quam prius fecerat, Quesnelliani operis approbationem? Profecto fuit ita solemnis Galliæ Præsulum acceptatio, ut mentem expresserint ipsi suam in centum amplius, & triginta litteris pastoralibus ad respectivos subditos proscriptionem errorum a Sede factam Apostolica intimantibus. Vide tomum inscriptum – *Recueil des Mandemens, & Instructions pastorales pour l' acceptation de la Constitution Dogmatique &c.* –. Nec eo contenti Galliarum Episcopi, illud egerunt, ut illustrissimus Soannes Episcopus Senagensis in sua perstans obstinatione in Embrumensi Concilio deponeretur.

Ludovicus XV. sic est assensus impigre, & generose votis Pontificiis, & Episcoporum, ut die 24. Martii 1730. in sua circa Bullam *Unigenitus* declaratione statuerit Ecclesiæ legem hac Bulla factam *legem quoque judicari debere sui Regni*. Nec fas est ulli dubitare, *regulam esse Fidei* præfatam Constitutionem, quo nomine eam nuncupat Concilium ultimum Romanum ann. 1725. convocatum a Benedicto XIII., qui eidem per se Synodo præfuit. Quæ verba obscurare tentarunt Quesnelliani furtivam Romani Concilii in eodem ipso anno editionem procudentes, in qua prædicta verba *regula Fidei* fraudulento animo suppresserunt. Sed apud sapientes homines nihili profecerunt, cum in tribus ejusdem Concilii Romanis editionibus ex-

Digitized by Google

presse legantur, e quibus duæ priores factæ sunt anno ipso 1725., tertia vero anno 1764.

Veniant nunc Quesnelliani fautores, & qui se in aures imperitorum impudenter insinuant dicentes non esse receptam in Galliis Constitutionem *Unigenitus*, factis ipsi authenticis, & evidentibus rerum gestarum testimoniis, si quid eis suggeret impudens, ut in cæteris, pervicacia, respondeant. Quod si adhuc ab opinione sua deduci nolint, paucorum Antesignani Episcoporum resistentiam in acceptanda Constitutione exaggerantes, audiant tandem quo pacto ille, sibi redditus, revocet in suo Mandato quam dederat approbationem de versione gallica novi Testamenti Quesnelli: *Cum didicerimus*, inquit, *S. Pontificem dignam censura notasse gallicam novi Testamenti versionem moralibus auctam reflexionibus &c., sinere deinceps non possumus, ut nostro calculo muniatur opus, quod sua Sanctitas confixit . . . . instat usque adeo nobis liberanda fides &c.* Inde judicans se teneri ad manifestandam suam erga visibile Ecclesiæ Caput observantiam, & obedientiam, revocat approbationem, & damnat librum, ejusque lectionem, & retentionem inhibet omnibus suis Diœcesanis.

Fatemur, hunc eumdem Eminentissimum Dominum pravis deinde, subdolisque consiliis deceptum Sedis Apostolicæ judicio aliquandiu intercessisse, quasi novis indigeret explanationibus Clementina Constitutio; sed vero omnia tandem retractavit sincerissima obedientia tum in Mandato dato Parisiis die 11. Octobris ann. 1728., tum in Epistola supra insinuata ad Benedictum XIII.; unde satius erat, ut quem errantem non pauci sequi videntur, eumdem illi sequi pœnitentem non erubescerent.

At enim inquiet aliquis: cur igitur Galliarum Antistites aliquot passi sunt effluere menses, antequam publica sui erga Constitutionem obsequii testimonia ederent? Non est igitur cur tantopere jactetur Gallorum Antistitum observantia erga Constitutionem Pontificiam. Non ego nego cunctationem, neque illam Pontifici displicuisse negabo. At qua mente, quo consilio, qua ratione id factum fuerit, palam, & sæpius ipsi professi sunt (inquit de illis idem Clemens XI. Rom. Pont. in suo Brevi dat. die 17.

Digitized by Google

Martii ann. 1714. ab Episcopis Gallicanis inserto in actis verbalibus Cœtus ann. 1714. p. 122.) scribentes: *hujusmodi cunctationem non animo subjiciendi examini, aut suo ipsorum judicio solemnia Romani Pont. Decreta, sed studio dumtaxat conciliandæ Ecclesiasticæ pacis, & lucrandi nonnullos ex suis fratribus in spiritu mansuetudinis, & diligentia charitatis esse tribuendam.* Nullum est igitur caput, nulla ratio vel tenuissima, ex qua per umbram probabilitatis colligatur ex actis Cleri Gallicani, Constitutionem *Unigenitus*, toto orbe receptam, non esse a Galliæ Episcopis acceptatam; quin potius ex eorum agendi ratione evidentissime constat, non modo in Gallia, si unquam alias, solemniter esse receptam, sed etiam Episcopos palam, & sæpius Vicario Christi exhibuisse obsequium, venerationem, & obedientiam non aliunde profectam, quam ex intimo animi sensu, & verissima persuasione circa infallibilitatem Pontificis ex Cathedra loquentis, cujus solemnia Decreta examini, aut judicio suo negant esse subjecta.

CAPUT VII.

Sola sententia communis fuit in Gallia cohærens; & opposita multis scatens incohærentiis.

Satis, credo, dictum est a nobis de antiquitate, universalitate, & libertate sententiæ communis, quæ item in Gallia ex principiis admissis, & ex perpetua Comitiorum, & factorum illustriorum successione fuit etiam, ut vidimus, cohærentior. Dicenda tamen sunt aliqua circa incohærentiam plane notabilem opinionis oppositæ. Ac primum quidem ipsa Declaratio 44. Antistitum profitetur omnino religiose Pontificem in quæstionibus Fidei præcipuas partes habere. Hoc autem, & principium, unde deducitur, quo quæso pacto cohærere potest cum ejus fallibilitate in definiendo? Hic enim aut unice video inania verba, & nihil significantia, aut contradictionem apertam. Nam si Pontificis judicium est reformabile, donec consensus accedat Ecclesiæ in Concilio collectæ, vel sparsæ, quorsum tandem tendunt præcipuæ partes Pontificibus in definiendo

concessæ? Profectо si vel una, duæ, seu tres Provinciæ definitioni resisterent, evanesceret protinus infallibilitas, quæ in casu proposito non tam a Summo Pontifice penderet, ut Ecclesiæ Magistro universali, & visibili Capite (quem ipsi Primatum Pontifici non negant), quam ab illa una, duplici, aut triplici Provincia. Dices, rem esse moraliter considerandam, & paucorum judicium officere non posse judicio Pontificis a cæteris acceptato. Bene quidem habet. At quis, rogo, librare debet hanc, quam verbis potius, quam re moralitatem obtrudis? Et certe si media saltem pars contradicat, non erit jam locus librationi morali, unde Pontifex, & Ecclesia Romana non potuerunt addere Symbolo Constantinopolitano particulam illam *Filioque*, nec Spiritus Sancti processionem a Filio infallibiliter decernere, cum Græcia pars minimum Ecclesiæ media omnino resisteret. Sed esto; sint ea talia, qualia confingis; at semper verum erit (quod cum principio a te admisso omnino pugnat necessario), judicium videlicet Summi Pastoris, ut infallibile evadat, ab ovium dependere consensu. Non habet igitur Pontifex præcipuas in infallibiliter definiendo partes, sed hæ potissimum subditis concedendæ sunt; nam ante consensum gregis judicium Pastoris universalis fallibile est, & gregis consensu roboratum evadit infallibile. Quod autem Pontifex definiat primus, refert nihil. Quod autem subditi judicium exprimant consentientes, infallibilitatem facit, figit, determinat.

Quod sane si detur, quis non videat nullum in Ecclesia Dei relinqui tribunal infallibile pro Fidei unitate conservanda, & contra hæreticos asserenda? Nam una ex parte tollitur Summis Pontificibus antiqua infallibilitatis prærogativa, & ex altera dissentientes Episcopi, seu pauci, seu plurimi, nec legitime, nec in Spiritu Sancto congregati, nec Ecclesiæ Pastoris approbationem expectantes, infallibile quidquam definire non possunt, ad quod divina Fide credendum Fideles obligent in decisionibus suis. Neque id tantum ex consensu Ecclesiæ necessario ad infallibilitatem plane consequitur, sed illud etiam fiat necesse est, ut quisque libere, tuto, fidenter appellare ad futurum Concilium impune possit. Quod sane, si sit acephalum,

Digitized by Google

& appellantem condemnet, parum movebitur condemnationis sententia qui ad illud appellavit, nihil pendens, suo jam, ut assolet, obstinatus judicio, carentem legitimo Capite Congregationem. Si vero legitimum sit, & ab Ecclesiæ Capite indictum, non ideo vitatur difficultas; nam fieri facile potest, ut inter Papam, & plurimos Concilii Patres sit in judiciis varietas, & discrepantia. Quis quæso controversiam dirimet? Quis infallibile judicium prodet? Patresne eum Pontifice consentientes, an Pontifex dissentiens a Patribus? Mitto Concilia non ita facile congregari posse ob gravissimas, quæ occurrere solent, difficultates, incommoda, dispendia, sumptus, aliaque multa, ex quibus Synodus universalis redditur interdum moraliter impossibilis. Quod quidem negare nemo potest, nisi qui cæcus sit, vel certe protervus.

Hæc omnia satis, credo, demonstrant articulum quartum Declarationis præfatæ viam planam sternere, atque munire, ut Novatores suis in erroribus obfirmentur, foveantur hæreses, nihilque in Ecclesia Dei definiri possit ut credendum Fidelibus, ea scilicet eversa doctrina, & veritate concussa, quam tenuit semper ut sanctam, antiquam, ac venerandam Christianorum Orbis ab Ecclesia per Christum in Petro, ejusque Successoribus fundata. Adeo scilicet verum est, fatalem articulum esse factum, ut in ejus formatione dicebatur, ad hæreticos ad Ecclesiam reducendos. Mirabilis proculdubio obtentus! cum ne unus quidem hæreticorum ex articulo facto ab suo sit deductus errore, ac plurimi sint in suis hæresibus obfirmati.

Enim vero quam fuerit momenti maximi articulus, de quo loquimur, ad affligendam Ecclesiam, & hæreses confovendas, evidenter constat ex eo, quod Novatores videntes veram de Pontificis infallibilitate sententiam in Episcopis multis, & fidelibus Galliarum altius, quam ipsi vellent, radices agere, novam ipsi curarunt editionem perficere Mense Aprilis ann. 1768. processus verbalis Comitiorum ann. 1682., quem ut Ecclesiæ Gallicanæ sensum communem opponerent exterorum sentiendi modo, & Pontificiæ auctoritati. His armis usi frequenter fuerant Sæculares non unius tantum Senatus Magistratus, cum Galliæ parte non

Digitized by Google

modica in pravum sensum conversa, & Novatoribus Senatus consulta definientibus, vix aliquod Decretum ederent, in quo articulus ille quartus non intersereretur. Exigitur v. g. a Potestate Sæculari notissimum illud juramentum ab hominibus cujusdam Societatis de Regno certe benemerentis (cujus extremam calamitatem boni omnes Galli intimo animi sensu compatiuntur, & cujus regressum desiderant, sin minus ut unicum, sic ipsi dicunt, certe opportunum tot, tantisque animi, corporisque malis remedium objiciendum): in formula ipsa juramenti per fas, aut nefas inserendus est articulus quartus, quem *Fidei tesseram* diceres Magistratuum. Nec enim ibi proponitur tamquam opinio quædam liberum cæteris opinandi sensum relinquens, sed tamquam veritas Fide sancta, in Scriptura fundata, & ad illos per non interruptam traditionem transmissa. Talis profecto fuit singularis illustrissimi D. Fitjames Episcopi Suessionensis definitio, quæ tota inserta est in Parisiensi Decreto 19. Maji 1763., in Tolosano 3. Iunii, in Rhotomagiensi 18. Julii, & in Aquensi 27. Martii ejusdem anni. Et in hoc extremo Decreto illud etiam adjungitur, nemini Gallorum licitum esse unquam vel umbram dubitationis admittere circa veritatem istam, quin eo ipso reus læsæ majestatis evadat. Sint ea satis, ut cognoscat quisquis quam sit Novatoribus gratus articulus ille, ex quo judicium infallibile in causis Fidei vel tollitur, vel enervatur, vel infirmatur. Veniamus ad incohærentias alias.

Ego sane non video, nec credo, ab ullo rem attente considerante videri ulla ratione posse quo pacto hæc limitatio Pontificiæ infallibilitatis a Fidelium consensu, judicio, & voluntate dependens cohærere possit cum principiis, quæ negare ausus est Catholicorum nemo circa Primatum Summi Pontificis. Nonne Bossuetius, cujus esse Declarationis Defensionem contrarii ipsi contendunt, aperte commendat cum omni Clero Gallicano Romani Episcopi qualitates, summa illum religione compellans *Caput universale, Centrum universale, Magistrum, Pastorem Fidelium*, ex quibus sane nominibus omnes omnino *Fideles ipsi tenentur obedire*, cum ipso *conjungi*, ab ipso *discere*, &

Digitized by Google

cum ipso quodammodo *incorporari*, non tantum in *charitate*, sed etiam in *Fide*, quibus sublatis *Fidei unitas* Ecclesiæ Jesu Christi omnino intima *conservari non potest?* Quis autem hæc animo informet, eaque possit cum altero ab Adversariis prætenso extremo *separationis*, *disjunctionis*, *indocilitatis*, & *inobedientiæ* conciliare? Quis intolerabilem hanc, & incohærentem opinandi licentiam cum verbis componat S. Cypriani Epist. 55. ad Cornelium scribentis: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur?*

Legat quisquis velit animo non multum attento celebrem Declarationis Defensionem, & hujus generis logicam denuo cusam non semel demirabitur. Sit in exemplum quod scribitur in 2. parte lib. 15. cap. 32. pag. 196.: *Certum est, Romanum Pontificem a Deo esse positum, qui catholicæ societatis, communionisque esset vinculum: stat semper invictum illud Optati de Romano Pontifice – cum quo nobis totus Orbis unitatis in societate concordat –; Hieronymi ad Damasum – qui tecum non colligit, spargit –; & illud Cypriani, illud Ambrosii, illud omnium, ut cum Romano Pontifice, idest cum Ecclesia Catholica communicemus; atque hic etiam valet illud – absque Romano Pontifice non colligi Synodos, quippe quo Duce Ecclesiæ uniri, conjungique debeant hæc a Christo instituta, hæc in ævum duratura –*. Nonne pulchra sunt ista? Pulchra certe, præclara verissime, & eloquenter prolata; sed audi quæ sequuntur, mentem Optati, Hieronymi, Cypriani, Ambrosii, omniumque Fidelium mirum in modum exprimentia: *Neque eo secius, Deo permittente, ea interdum eveniunt, quibus viri boni, sanctique Pontificiæ communionis exortes manere debeant.* Euge quisquis sis auctor novæ logicæ fabricator eximius, qui brevissimo concilias *neque secius* quæ ingeniosorum nemo unus persuadere potuit hominibus logica naturali utentibus.

Nec minorem observo incohærentiam in libro de Ecclesia, quem Honorato Tournellio quidam adscribunt. Nam tom. 2. q. 5. art. 3. p. 291 docetur, quod Sedes Apostolica er-

rare quidem poteſt abſolute (licet hactenus non erraverit), & ita errando deſineret actu eſſe centrum unitatis. Quæ ſane ſunt veriſſime contraria iis, quæ ſcribuntur tom. 2. q. 2. art. 6. pag. 223., & ſequentibus, ubi traditur, Sedem Apoſtolicam eſſe neceſſarium centrum, extra quod nemo in unitate Fidei perſeverat: unionem cum Sede Apoſtolica ſemper fuiſſe, & eſſe neceſſariam: idem eſſe a communi Eccleſia ſeparari, ac non conſentire Sedi Apoſtolicæ: extra communionem cum Pontifice nullam eſſe veram Fidem, nullam excogitari poſſe circumſtantiam temporis, propter quam liceat recedere a communione Sedis Apoſtolicæ: conjunctionem cum Sede Apoſtolica eſſe veram notam Eccleſiæ Catholicæ. Confer has ad antiquitatem exactas propoſitiones cum prima illa: *Poteſt abſolute Pontifex errare, & ita deſineret eſſe actu centrum unitatis*. Crediderim ego, nullam in vero Tournellio incohærentiam inveniri, ſed hanc extremam propoſitionem (ſicut & alias intimo Tournellii ſenſui omnino contrarias) additam de induſtria fuiſſe ab Anonymo quodam ſuſpecto in Editione Pariſienſi ann. 1755. In hac porro Editione tom. 2. quæſt. V., quæ eſt *de Capite Eccleſiæ*, inſerti ſunt ſine dubio articuli duo, qui ſunt tertius, & quartus conformes certe Defenſioni Declarationis Gallicanæ ann. 1682., & ex hac ipſa depromtæ ſunt rationes, a quibus Tournellius maxime abhorret, ut cæteras hujus nitidiſſimi Auctoris Editiones conſulenti manifeſte patebit. Profecto Editio Veneta Honorati Tournellii ejuſdem anni 1755. non eos nobis repræſentat articulos, ſed tota ſibi eſt conſtans, ſibique conſentiens. Præterea Editio Pariſienſis in ipſa inquit fronte: EDITIONEM, QUAM PLURIMIS ADDITIONIBUS NUNC PRIMUM LOCUPLETATAM. Sunt igitur in ea poſiti, & adjuncti articuli controverſi. Ecquando quæſo additi ſunt? NUNC PRIMUM. Ergo in nulla unquam erant poſiti Editione Tournellii. Non itaque ſunt ab Honorato ſcripti, ſed ejus ſunt prælectionibus interpolati. Clara ſunt iſta; ſed addendum aliud, quo res plane conficitur. E vivis exceſſit Tournellius 26. Decemb. ann. 1729. Annos itaque quinque, ſeu ſex ſupra viginti poſt ejus obitum facta eſt ar-

Digitized by Google

ticulorum additio. Illam ergo fecit Auctor anonymus. Eccur se occuluit? Eccur nullo rationis momento ejusdem esse Tournellii articulos persuadere conatus est? Non aliam dixerim causam, nisi quia imperitorum scribens eludendo vulgo, laboris plerumque in Editionum collatione impatienti, curavit omnino nihil a diligentioribus, quorum exiguus est numerus, interpolationis crimine notari. Tandem Editio præfata Parisiensis, & Editio Defensionis Declarationis Amstelodami vix non synchronæ sunt, immo easdem ostendunt manus, ut quæ farinam ejusdem rationis, paullulum variato fermento, condivisse videntur. Qui Defensionem confecit, fuit ille Antonii Arnaldi venerator eximius. Hujus autem Tournellius acerrimus impugnator. De lite, quam moveo, judicent Critici; nec enim cuiquam adimo liberam judicandi potestatem. Ego autem interim in opinione persisto, illam esse negante Tournellii propositionem, quæ cum ejus legitimis testimoniis apertissime pugnat. Quis enim Pontificem verum esse unitatis Fidei *Centrum*, extra quod nemo in unitate Fidei perseveret; quis item id ipsum ex infallibili Christi promissione deficere non posse, animo informet; & ex altera parte deesse confingat Centrum unitatis? Hæc porro imaginatio, ut Christi indefectibilem promissionem faceret vere fallibilem, sic etiam Fidei tolleret unitatem.

Quanto rectius, & cohærentius Cameracensis Episcopus sibi semper similis in argumento præsenti loquens de Schismaticis ad Fidem redeuntibus oves suas instruit apud Ballerinium de vi, & ration. Primat. Cap. 3. §. 16. proponens *centrum* ex infallibili promissione Filii Dei facta Petro! *Agitur*, inquit, *de promissione Filii Dei facta Petro, quæ vel ex effectibus vera semper demonstratur .... Quod nimirum in Sede Apostolica inviolabilis semper servatur Fides. Quod hæc Ecclesia* (Romana), *ut ex Meldensi Episcopo Bossuetio videbimus, semper est Virgo; quod Petrus in sua semper loquitur Cathedra; quod Fides Romana est semper Fides Ecclesiæ .... Quod qui contradicit Fidei Romanæ, quæ centrum est traditionis communis, totius Ecclesiæ traditioni contradicit &c.*

Sed videamus quot hic adhibeant Oppugnatores effu-

Digitized by Google

gia, ut res aperte contrarias cohærere posse demonstrent. Forsan & in eorum dictis, & peregrinis cogitationibus novas ipsi incohærentias demonstrabimus. Quatuor effugia lego in Defensione Declarationum attributa Bossuetio lib. 10. Cap. 5. (al. 15.). Primum, aliqua testimonia, quæ a nobis proferuntur, soli Petro convenire. Verum id, ut vidimus, difficultatem non minuit, sed eam potius auget, cum evangelica testimonia supra laudata de promissionibus Christi factis Petro ex traditione ab Adversariis etiam approbata eo tendant, ut ad Primatum Petri in Successores derivandum necessaria sint, quibus sine nec Primatus esse posset in hæredibus Petri, nec eadem ipsa Petri Fides in Ecclesia conservaretur; unde Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Ecclesiæ salus*, ajebat, *in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam tribuatur potestas, tot in Ecclesia efficientur Schismata, quot Sacerdotes*. Alterum, testimonia illa Ecclesiæ Catholicæ competere. Verum id negarit nemo, si in recto sensu intelligatur. Cum enim promissiones Christi ad Petri, & Successorum ejus Fidem pertinentes ad Ecclesiæ Fidem, & unitatem revocentur, Fidei Petri, ejusque Successorum adhærens, Ecclesiæ Catholicæ Fidei adhæreat necesse est. *Si ergo firmiter* (ait Bossuetius Epistola 1. pastorali de Christi promissis Eccl. num. 32.) *adhæremus huic Cathedræ, tuti erimus in Jesu Christi promissis*. Itaque si Ecclesiæ Catholicæ, quæ firmissimum est ædificium, firmitas competit promissionum Christi, ut revera congruit, Fidei Petri, & Successorum, quæ fundamentum est, & centrum unitatis, competere debet. Tertium est, convenire testimonia laudata Sedi Romanæ, non autem personæ, vel Fidei Successorum. Quam in rem adducere possunt illud S. Leonis ex Epistola 106. al. 80. Cap. 5.: *Aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes*. At in hoc etiam æquivocatio est. Profecto ratio Primatus, & jus Petro, & Successoribus collatum ad regendam Ecclesiam, & unitatem Fidei conservandam, personale est, & personæ Petri, ejusque Successorum omnino proprium, nec alteri Sedi, aut Ecclesiæ competere potest quam Romanæ. Igitur si Pontifex aliquid agat, statuat, aut definiat ex vi, & ratione Primatus Ecclesiæ,

Digitized by Google

seu Sedi Romanæ competentis, Sedes ipsa Romana agit, statuit, definit. Quid enim aliud significat Ambrosius cum in Psalm. 50. scribit: *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia;* & Cyprianus de unitate Ecclesiæ: *qui Petri Cathedram deserit, in Ecclesia non est;* & ipse Defensionis Auctor loco proxime citato expresse fatetur, *se non distinguere a Romanorum Pontificum Fide Romanæ Ecclesiæ Fidem*, dum nimirum traditione coactus Romanæ Ecclesiæ Fidei inerrantiam, & indefectibilitatem asserit? Ergo sine manifesta incohærentia negare non potest inerrantiam Pontificis in quæstionibus Fidei, præsertim cum Romanæ Ecclesiæ Fidem *eam esse affirmet, quam scilicet non aliter quam a Petro primo, atque a Petri Successoribus Romani didicerunt.* Verba S. Leonis clarissima sunt ad demonstrandum id, pro quo afferuntur a S. Pontifice, nempe ad explicandam distinctionem inter *merita Præsulum, & jura Sedium. Nihil Alexandrinæ Sedi*, inquit Leo, *ejus quod per S. Marcum Evangelistam meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pervicacia corruente* (ob depositionem) *splendor tantæ Ecclesiæ tenebris offuscetur alienis.* Post quæ verba addit illud: *aliud enim sunt Sedes, aliud Præsidentes.* Clarius adhuc id explicat Epistola 119. al. 92. ad Maximum Antioch. Cap. 3. dicens: *etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, jura tamen permanent Sedium.* De cætero Sedem, & Cathedram materialem esse mutam, nec cogitare, nec loqui, aut disponere quidquam, quisque videt, qui non sit omnino mentis inops, aut plane dormiat. Quæ vero privilegia, prærogativæ Primatus Sedi competunt, ea sunt propria Præsidentis. *Neque propterea dicimus*, lego in Defensione Declar. lib. 10. Cap. 5., *ipsam Sedem aliquid exercere posse potestatis, aut jurisdictionis aliter quam per ipsum Præsidentem.* Cum igitur in præsenti sermo sit de infallibilitate definitionis per Summum Pontificem edendæ, pronuntiandæ, & intimandæ, quis in mentem inducat, Sedem esse infallibilem, Papæ Cathedram errare non posse, posse autem errare Pontificem ex Cathedra loquentem? Audiatur Prosper contra Collat. num. 15. eo loquens modo, quo semper locuta est antiquitas tota per Concilia, & Patres: *Sacrosancta*

B. Petri Sedes per universum Orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur . . . . Quapropter Concilia, & Patres unam semper esse locutionem illam intellexere: *Cathedra Petri, Sedes Apostolica, Ecclesia Romana. Ego,* inquit Hieronymus Epist. ad Damasum, *Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior.* Et S. Petrus Damianus Opusc. 20. Cap. 1. ita loquitur ad Alexandrum: *Vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia.* Ex quo etiam patet quam sit inutilis, falsaque distinctio inter Fidem Ecclesiæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ Fidem. Id quod vel ipse Bossuetius testatus est, ut rem omnibus omnino compertam in discursu in Comitiis ann. 1681. habito ita proludens: *Fides Ecclesiæ Catholicæ est semper Fides Ecclesiæ Romanæ.* Nec dissentitur Auctor Defen. Declar. scribens loco nuper laudato: *Neque vero distinguimus a Romanorum Pontificum Fide Romanæ Ecclesiæ Fidem, quam scilicet non aliter quam a Petro primo, atque a Petri Successoribus Romani didicerunt.*

Restat ultimum effugium a vero, vel existimato Bossuetio excogitatum. Quodnam illud? Duratio Fidei indefectibilis in Sede Apostolica, & in Ecclesia Romana a traditione asserta non est singulis adscribenda Romanis Pontificibus, sed eorum seriei, & successioni, sicut ut non singuli Pontifices, sed tota series, atque successio veram sit conservatura Fidem, immotam, & indefectibilem, quæ licet vacillaverit, deficere possit, aut etiam in nonnullis aliquando nutaverit, mox tamen revixerit vel eo surgente, qui cecidit, vel saltem a successore vindicata. Hæc ad summam dicuntur tom. 2. Defens. p. 195., scilicet *non tamen deficit in totum quæ in totum revictura sit.* Et in corollario §. 8. de sola successione affirmatur: *neque successionem ejus* (Petri) *unquam a Fide abrumpendam.* Verum quis non videat apertam contradicendi libidinem miris, & replicatis contradictionibus involutam? Ubi ex traditione admittitur veneranda, Fidem Ecclesiæ Romanæ nunquam esse *defecturam, semper esse futuram immotam,* successionem Petri nunquam esse *a Fide abrumpendam,* ibi etiam edicitur *defecturam non in totum, mox revicturam, a successoribus vindicandam.* Expendamus verba:

Digitized by Google

non deficiet in totum, *sed deficiet per aliquod tempus*. Id quod conceditur, contradictorie opponitur illi alteri clausulæ *nunquam deficiet*. Ut enim Logicis notum est, *nunquam aliquando* non minus opponuntur contradictorie quam *nullus aliquis*. *Mox revictura;* ergo mortua fuit, atque adeo vere defecit: non fuit *immota*, non *indefectibilis: a successoribus vindicandam;* ergo ante vindicationem vere fuit abrupta. In summa verum non erit de Fide Petri, quod sit *semper futura Virgo*, ut ajebat Bossuetius, *intemerata*, ut dicunt omnes, & quod *nunquam portæ Inferi adversus eam prævalebunt*, ut negavit nemo, sed quod corrumpenda sit, maculanda, & ab Inferorum portis vincenda, & profliganda. Profecto series, & successio Romanorum Pontificum non omnes complectitur Pontifices collective sumptos, sed singulos, qui post Petrum Cathedram Romanam obtenturi essent. Si ergo Fides in aliquo, vel in aliquibus singulorum deficit, jam non est immota in tota serie, non est indefectibilis, non est, ut dicis, unquam abrumpenda. Tandem id ultimum effugium ex serie desumptum, & successione Pontificum, ex qua Fides tantisper abrupta revictura sit protinus, nedum est inventum ad eludendum incautos, sed ad magis, magisque demonstrandam gravissimam alteram incohærentiam cum principiis ab Auctore Defensionis stabilitis. Nam quilibet singularis Pontifex est *Caput universale*, cui se se subjicere debet Catholicus quisque, atque in Fide conformare, *Centrum unitatis*, cui debet uniri, *Magister universalis*, quem audire tenetur, *gestans figuram Ecclesiæ universalis*, atque adeo veræ, & unicæ Fidei, ex qua Ecclesia existit una, & non multiplex, unicus Episcopus proprie Apostolicus, qui post generalem cæterarum Sedium Apostolicarum prævaricationem durat, existit, perseverat, & ad finem usque perseverabit. Finge nunc animo, unum aliquem Pontificem proponere aliquid Fide divina credendum ut Caput universale Fidelium, ut Magistrum, ut Pastorem, ut Centrum unitatis, ut unicum Episcopum Apostolicum; & ex altera parte finge, ejus Dogmaticum Judicium esse fallibile: quid tandem fiet? Refugit animus ea credere, quæ inde orirentur scandala: sub-

Digitized by Google

missio esset incerta, unio esset divisio, auditio plena damno, docilitas ambigua, grex sine Pastore, populus sine Episcopo, vel, ut verius dicam, tota ratio caderet Primatus Pontificis, non esset Caput, non Centrum, non Magister, non Pastor, non Episcopus Apostolicus, nec Christi promissiones factæ Petro, quæ sunt juxta adversarium verissimæ, & indefectibiles, in Petri Successore subsisterent.

Quam rectius Augustinus, melior certe logicus, quam Defensionis effector, opponit contra Donatistas (Psalm. contra partem Donati) seriem Romanorum Pontificum tamquam inconcussam petram, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ, premens eos modo argumentandi contrario! *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur*, plane supponens, seriem illam non esse futuram talem, qualem descripserat, si vel unus in illa serie Donatista inveniretur. Quæ cum ita sint, cuinam quæso vel ex tardioribus Theologis obtrudit ita fidenter solutionem inermem Auctor Defensionis L. X. C. IV. scribens: *merito Petro dicitur, non deficiet Fides tua, cum numquam futurum sit, ut Petri Successores, eorumque universa series, atque successio, Sedesque, cui præsint, atque Ecclesia, quam docendam, & regendam susceperint, a vera Fide evellantur?* Si enim vel uno tantum Donatista in Petri Sede præsidente jam esset Petra ex Augustino concussa, jam adversum eam portæ prævalerent Inferorum; si docens hæresim, vel falsum contra Fidem definiens alius quisquam præsideret Pontifex, quo vero sensu Petri Sedes esset immaculata, quomodo virgo esset ex Bossuetio inviolabilis, atque in Fide nunquam non permaneret?

Præterea, qua unquam ratione sine manifesta incohærentia scribere potest Auctor Defensionis Cap. seq.: *hæc igitur Cathedra* (Romana), *hæc Ecclesia est, quæ pro sui Pontificatus dignitate uniendæ Ecclesiæ necessaria nunquam a vera Ecclesia, nunquam a Fide abrumpatur? Quia*, inquit, *aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes*, ut inquit S. Leo. Verum id explosum est satis. Sed & ipse Auctor hic etiam illud manifeste disjicit nova addens incohærentia: *Neque vero distinguimus a Romanorum Pontificum Fi-*

Digitized by Google

de Romanæ Ecclesiæ Fidem, quam scilicet non aliter quam a Petro primo, atque a Petri Successoribus Romani didicerunt. Quæ sane additio vera est, cum Sedes apud eumdem exercere non possit jurisdictionem nisi per Præsidentem; sed vero primum illud ex additione ipsa manifeste convelli, nemo non videat.

At inquies, considerandam esse Pontificum seriem ut personam unam, in qua nunquam Fides penitus deficiat, licet in aliquibus Pontificibus vacillet, aut concidat. Optimum sane inventum! Series illa, ut inquis, ex multis personis particularibus constituitur, quarum nulla est per se infallibilis, nulla immaculata, nulla per se custos secura unitatis Fidei. Patres igitur ad Pontificem actu regnantem accurrentes, dubitare possent de illius Fide, vel saltem de illius Fide non essent omnino securi. Cur igitur scribebat Cyprianus tract. de unit. Eccl.: *Navigare audent ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est?* Nonne isti quærebant particularis Pontificis in Sede Romana præsidentis judicium, sententiam, fidem? Cur formulam illam misit ad Defensorem Euthychetis Hormisda Pontifex, quæ verbis illis continebatur: *In Sede Apostolica est semper servata Religio?* Quid est semper servari, nisi nunquam non servari? Cur S. Leo IX. Ep. V. ad Petrum Ant. ait: *Quæ oratio* (Domini) *obtinuit, quod hactenus Fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi?* Quid est hoc aliud, nisi quod, sicut usque ad Leonem non erat hactenus in ullo Prædecessore interrupta, sic in nullo ex Successoribus interrumpenda esset? Hunc eumdem sensum expressit S. Gregor. VII. lib. 8. Epistola 1. ad Archiepisc. Syn.: *In qua Ecclesia* (Romana) *nullus hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus.* Id autem inde repetunt PP., & Pontifices, quod pro Petro Christus oraverit, quod Christi promissiones sint infallibiles, ut non semel fatetur Defens. Auctor. Cur igitur pro iis Sanctorum Patrum expediendis testimoniis scribere non erubescit, ad officium id pertinere Pontificum, in quo deficere tamen possunt? Scimus Petri Suc-

Digitized by Google

cessores in officio confirmandorum fratrum deficere posse, si verba illa *confirma fratres tuos* non tantum ad Fidem ex Primatus munere, Capite, & universali Magistro firmandam contrahantur, sed ad alios modos confirmandi fratres tum facto, tum exemplo, tum provida dispensatione extendantur. Sed de his extremis confirmandi modis in præsenti non disputamus; primus ille nobis est cordi, in quo, vel ex quo infallibilitas existit, aut derivatur. De hoc igitur est Christi promissio infallibilis: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & oratio, quam Pater exaudivit: *ego pro te rogavi Petre &c.*; super quæ verba ait Innocent. III. Serm. 2. consecrat.: *Rogavit, & impetravit, quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia: & ideo Fides Apostolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum*. Quoties sane in tribulationibus Apostolicæ Sedis Fides defecisset; quoties non integra, quoties non illibata fuisset, si vacillasset, aut concidisset in tot Pontificum casibus, quot a Defensore congeruntur?

Nec minus a vero recedere videtur Defensor, cum explicare tentat Angelicum, & Seraphicum Doctores. Vidit ille, Parisiensem Academiam, quam ut perpetuo tradentem doctrinam de Pontificis errantia repræsentat, non posse in tuto collocari, nisi duo illa Galliarum lumina ad se traheret. Quid igitur? Ad illa, quæ luce ipsa meridiana clariora dedimus, respondet illis Gersonis verbis in serm. Fest. S. Anton.: *Vidi nuper S. Thomam, & Bonaventuram dantes supremam, & plenam Summo Pontifici potestatem. Recte proculdubio; sed hoc faciunt in comparatione ad Fideles singulos, & particulares Ecclesias*. Ita ne vero *singulos, particulares?* Ergo si Pontifex quidquam definiat Fide credendum, eum ab Ecclesia *resecans*, qui credere recusaverit, singuli Fideles, & particulares Ecclesiæ ex SS. DD. credere tenebuntur quod a supremo singulorum Magistro definitum est. Eritne Fides illa provisionalis, conditionata, aut temporalis; an infusa, divina, & theologica, nullam admittens conditionem, formidinem, dubium? Nam hæc sola utpote immutabilis, firma, & su-

Digitized by Google

pernaturalis est Fides Catholica, quæ in casu præscribitur. Si hoc detur ultimum, ut concedendum necessario est, de nullo alio sumus in controversia soliciti; si primum dicatur, ergo non habet Pontifex respectu singulorum Fidelium, & particularium Ecclesiarum supremam illam, & plenam potestatem, quam ex Thoma, & Bonaventura describis. Nec hic valet quidquam quod inopportune congerit Auctor, varia colligens S. Thomæ testimonia, in quibus affirmat S. Doctor, quod errare non potest universalis Ecclesia. Id est enim vero, quod urget S. Thomas: *quod ad Summum Pontificem pertineat Symbolum ordinare: unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & confirmatur: quod ad Summi Pontificis auctoritatem pertineat finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur: quod unitas servari non potest, nisi quæstio Fidei determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia firmiter a tota Ecclesia teneatur*. Applica nunc distinctiunculas: *ad Pontificem pertinet præcipue; non quod in Pontifice sola ea auctoritas resideat: sed quod ea sola in eo resideat auctoritas, quæ omnibus præsit, quæ omnes moveat ad unitatem &c.* Quid nobis censendum de hujus furfuris Defensore ita leviter scribente, & quasi rem suam optime præstitisset, ad alia transeunte? Judicet æqui, verique amans Lector, an illa Defensoris verba mentem exprimant S. Doctoris scribentis: *ad solam auctoritatem Summi Pontificis: determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: firmiter teneatur a tota Ecclesia: ad ejus auctoritatem pertineat finaliter determinare quæ sunt Fidei: unitas servari non potest nisi per eum &c.*

Non sic male scribebat Gerson, cum tract. de Conc. gen. unius obedien. pronuntiavit: *Ea, quæ Fidei sunt, debent eadem esse apud omnes, & hæc identitas, & unitas vix, aut nunquam perpetuari potest, nisi recursus esset finalis ad unum Caput*. Dixi *non sic male*, quia non placet omnino disjunctio illa *vix, aut nunquam*. Placet tamen quod rectius, sibi nimirum non consentiens, tradit Serm. V. in Ascens. Domini: *Illos* (Græcos) *ma-*

la tempestas a Sede Petri disjectos, non modo schismatis, sed nonnullos etiam hæresis macula fœdavit. Latinitas ipsa purior, & immaculatior Sedem habet Petri, pro cujus Fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Hæc Christi specialis oratio, ne Fides Petri in sua Sede deficeret, nihil omnino pugnabit cum toties interrupta serie plurimorum (sic dicitur in Defensione) Pontificum a Fide Petri deficientium? Mitto alia, quæ dicere possem contra cavillationes inanes similes omnino illis, quæ post rem imprudenter, & inconsulta cum præcipitatione decretam indicatæ sunt; nec enim alias rationes invenies in Defensione Declarationum.

CAPUT VIII.

An sit habenda pro germano Bossuetii fœtu Defensio Declarationis Cleri Gallicani ann. 1682.

Sed quoniam video multos se Bossuetii nomine, & auctoritate tueri, auctorem esse credentes Defensionis Declarationis Gallicanæ, eaque de causa nolle tandem veritati manus dare, id etiam prosequi operæ pretium existimo, in quo non nisi incohærentias, absurda, & incredibilia mire inter se pugnantia videbis. Sed vero primo monendi sunt qui tanto fidunt Scriptori, ut animum advertant, & considerent in recto, integroque judicio non esse causam ex Advocati meritis decidendam, sed ex fundamentis, & rationibus causæ intrinsecis. Quod in argumento præsenti potissimum tenendum est, utpote quod traditione, antiquitate, & consensu Patrum jure suo probandum, firmandum, & stabiliendum est. Deinde mihi sane occurrunt conjecturæ fortes, & validissima argumenta, ex quibus vix non certum existimem, Defensionem Declarationis, qualis in lucem edita est, & ab incautis quibusdam celebratur, esse non posse Bossuetii fœtum, nec ejus indolem, & naturam referre, sed doctrinæ potius a vero Bossuetio in genuinis suis Operibus stabilitæ omnino contrariam.

Digitized by Google

Dixi *qualis in lucem edita est*. Nam, quod Bossuetius jussu Regis aliquam Declarationis Defensionem cœperit instituere, non ego contentiose negarim; utrum autem illam perfecerit, vere dubitarim. Id autem negotio infallibilitatis Pontificiæ aut parum obstat, aut nihil, non ob id tantum, quod Bossuetii auctoritas (quantumvis magnam effingas) exigua est certe, si cum tot Sapientium unanimi consensu, & cum tota retro antiquitate conferatur; sed quod non fuit libera magis Defensionis inceptio, seu etiam confectio, quam fuerat prius spontanea præpropera Declaratio. Et in causa, quæ auctoritate Scriptoris valere plurimum debet, momenti est maximi, quod libere præeat ratio veritatem exquirens, nec vim sequatur, aut impulsum alteri se accommodans. Quod in Bossuetio eo magis contingere potuisse quisque videt, quo Regi ipse suo vicinior erat, & ei ultra modum acceptus.

Sed eo misso, quo quidem, quamvis non improbabili, minime indigemus, veniamus ad Defensionis Editionem, quæ triplex circumferri solet; prima Francofurti, altera Amstelodami, tertia Parisiis. Earum autem nulla Defensionem exhibet, quæ vero possit Bossuetio prudenter tribui. Non prima. Nam quo quæso tempore illa comparuit? Anno scilicet 1730., idest annis 8. supra 40. post celebrem Comitiorum Declarationem. Magna profecto Operis, quod unius esse dicitur strenui Doctoris, tarditas, aut interruptio! Facta est Declaratio ann. 1682., & post annos ferme 50., quas publicari Rex jusserat post habita Comitia, exhibentur rationes. Vixit, ut arbitror, Bossuetius annos 22. post celebratum Conventum, & in Viro prompto, impigro, eloquenti, ac ingenioso debuisset esse confecta, perpolitaque Declarationis Defensio anno minimum 1692. An anni 10. homini ad prodigium instructo, & in causa sibi satis cognita non sufficerent? Cur igitur Defensionem non edidit ille ipse, qui fecerat? Nam homines plerumque sapientes ita sunt animo comparati, ut sua nolint scripta ad aliorum manus, a quibus ne deturpentur, aut corrumpantur maximopere timent, pervenire.

Dicam ego quod jam aliis venit in mentem. Pacato Regis animo, rebusque cum Summo Pontifice non multo post Declarationem compositis, & Rege ipso, ut ex ejus ad Innocentium litteris constat, Edictum, quod tulerat, infirmante, nec jam voluit Ludovicus minima scintilla incendii animos conturbari, nec Bossuetius maturandam esse Defensionem judicavit. Hæc est igitur, ut credere pronum est, causa, cur post annos plurimos cœpta olim a Bossuetio Defensio, & per Luxemburgensem Anonymum, & Sedi Apostolicæ infensiores alios aucta, deturpata, & mille in locis vitiata in lucem prodierit, cum nimirum fervebat in Gallia factio illa famosa, commovere tentans auctoritatem Pontificis, Regi ipsa suo resistens, nedum submissa.

Et quo in loco comparuit primum Defensionis Editio? Non Lutetiæ Parisiorum, non Meldis, non in alia Gallicani Regni Civitate, ubi vel Meldensis nomen celebrari cum laude posset, vel certe de opere vero, seu falso inveniri forte possent censores aliqui; sed in loco suspecto, libero, & longinquo Francofurti. Hunc sane designat Editio prima; quæ vero secunda est, post primam facta quasi annis 15., Amstelodamum non minus suspectum locum in fronte refert. Quæ cum ita sint, credendum est a nobis, ne silentio quidem obsequioso, eam esse Defensionem illam Bossuetii, sinceram scilicet, immutatam, nulla prorsus in parte vitiatam? O ille bellus homo, operis male sarti concinnator, aut auctor, qui uno suo verbo elidere posse judicavit criticam omnium posterorum!

Quid quod vel Editiones ipsæ inter se collatæ ostendunt satis, æquum non esse, sed excipiendum aperte, utpote ambiguæ fidei, fidejussorem? Quænam est enim rerum concordia, quænam partium cohærentia inter primam, & alteram Editionem? Enim vero omissis Præfationibus, Dissertationibus, Præmissis, & Corollariis, quæ per me, si placet, ad extrinseca referas, magna est in primis, ad librorum quod attinet dispositionem, & numerum, varietas; cum Editio secunda tertia ex parte librorum excedat numerum, qui non continentur in prima. De-

inde quod necessario derivatur ex primo, quæ res in extrema continentur, non perleguntur in prima. Facta est tandem Editio tertia (ante novissimam Lugani), a duabus primis, ut audio, aliquantulum discrepans, eaque, ut mihi videtur, in damnum nominis Gallici, & in odium, ut ita dicam, certe detrimentum Magni Bossuetii. Nam cum legitimis tanti viri Operibus recenter impressa, & de industria conjuncta Defensio obscuro nata loco, & quæ alterius esse sobolem satis demonstrat, unum corpus constituit Operum Jacobi Benigni Bossuetii non sane digni, ut a suis tam inique tractaretur.

Profecto qui legat Opera Meldensis propria, quamdam in eis suspiciet dicendi nativam ingenuitatem, in dictis cohærentiam, in urgendo, respondendoque profunditatem, & in argumento tractando methodum, ordinem, & exquisitam elocutionem. Et quamvis nonnunquam dormitare mihi videatur, vel potius impetu arreptus plus justo forsan progrediatur, id tamen nonnisi perraro observari potest. At Defensio Declarationis, ut aliquantulam ostendat eruditionem, & mentis acumen interdum repræsentet, non eas continet dotes, quæ tanti parentis originem referant. Alia præterea leguntur, si ad particularia devenias, quæ non sunt certe digna Bossuetio, sed vel puerilia, vel malitiosa, vel non satis sibi constantia. Quod eo magis mirandum est, quo maturiori ingenio dicitur esse Meldensis cum Defensionem confecit. Sic enim scriptum lego in Præfatione novissimæ Editionis Lugani ann. 1766.: *Dissertationem hanc composuit in ultima senectute Episcopus Meldensis, corpore infirmo, viribus ingenii non debilitatis, ut neque scribendi moderatione, & amore concordiæ &c.* Omitto verba illa *scribendi moderatione*, quæ certe relinqui potuissent, utpote non consentanea bene multis, quæ in Defensione leguntur. Audi unum, majus quidem, aut magis percellens animum. In recapitulatione cap. 9. lib. X. part. 3. scribitur, *dubiam esse, novellamque* sententiam de infallibilitate Pontificis, quasi nimirum diceret Auctor *certo carentem fundamento, denuo*

inventam, denuo excogitatam. Id autem conciliare quis possit cum eo, quod tres integri libri non sine magno labore in Defensione conscribantur, eo directi, ut probari utcumque possit, opinionem de fallibilitate Pontificis debere esse immunem ab omni censura? Nequit profecto animus induci credere quæ mens non male omnino comparata nunquam admittet, quod nimirum ex *dubia*, *novellaque* sententia tantum potuerit præjudicii, ac suspicionis in oppositam sententiam derivari, ut tot essent integri libri necessarii ad eam ab omni censura vindicandam. In has angustias se conjecisse maturum, ac moderatum Bussuetii judicium, neminem existimo crediturum. Veniamus ad puerile illud magis adhuc abhorrens a Senis doctissimi gravitate. In Appendice part. 1. lib. 2. Cap. 8., quod incipit: *Nunc Bellarminus prodeat unus omnium infensissimus*, hujus sapientissimi Cardinalis sententia proponitur de Pontificis superioritate supra Concilium, ejusque de illa judicium his verbis contentum: *Hæc etiam est fere de Fide*. Quibus exaratis, sic exclamat Auctor Defensionis quasi fulmine tactus: *Quid hoc monstri est? Quod est fere de Fide, totum de Fide non est*. Multa hic ille, pauperiem summam ostendens mentis in penetratione terminorum. Nam quæ adducit, eo tendunt, ut nos doceat, Fidem non esse *ex parte, sed ex toto, ex pleno, ex perfecto, & nullum ex gravi, ac sobria antiquitate usurpasse verba illa – fere de Fide –*. Dicere possum verissime, legentem me Defensoris verba, deque illius tarditate, malitia, seu puerilitate ridentem interrogasse a Juvene vix dum theologicis initiato ad me casu accedente: quid sibi volunt verba ista: *Hæc sententia est fere de Fide?* Respondit ille protinus (audiat Auctor Defensionis), aliud nihil significant, quam quod *hæc sententia est proxima Fidei, ad Fidem proxime accedit, non multum distat a Fide*. Qua ex responsione in eo sum novo experimento confirmatus, quod non semel alias observaveram, nihil magis ad cavillandum conferre adversum Auctorem, quem legas, quam si erga eum non sis bene animo comparatus. Vanissimum id, nedum puerile, &

Meldensi indignum. Quod vero in Suarium, virum illum quidem doctum, integrum, modestissimum scribitur capite sequenti, est plane malitiosum, & quamvis obscuritatis tectum velamine, injuriosum. Exposita sententia Suarii, & (si Superis placet) impugnata, concludit illum cecidisse de causa, verbaque subjungit, quibus acumen, dicam melius, aculeum ostendit. *Reponent alii contentione, metu, assentatione factum, ut ita consentirent, & religiosos plurimos, eorumque nunc Antesignanos tot privilegiis auctos hanc vicem rependisse.* Audio quid dicas, nec me latet verborum ancipiti gladio lacerantium sensus; unde & observo, vix esse in tua clausula verbum, quod deceat hominem honestum, aut injuriam in Caput Ecclesiæ, ipsique adhærentia membra non contineat. *Contentio*, *metus*, *assentatio*, *privilegia*, *repensio vicis*, quod dico, satis clare demonstrant. Et vero quis unquam Suarium veracem, modestum, integrum crimine damnavit contentionis, metus, assentationis, aut simultatis? Jam vero, etsi privilegiis privilegiorum vicem, ut ais, rependisset, non esset id piaculum magnum, dummodo privilegia repensa sint illa rationum momentis solidissimis fundata. Esset enim *repensio* actus honestissimæ virtutis gratitudinis. Si autem privilegia sint ex traditione, & consensione Patrum *inconcussa*, actus erit virtutis justitiæ commutativæ.

Ut autem clare videas non contentione, non metu, nec assentatione, seu simultate inductum esse Suarium, & ejusdem Religionis Antesignanos, ut Pontificiam defenderent infallibilitatem, ejusque prærogativas assererent, sed ex merito intrinseco ipsius causæ, seclusis iis omnibus, quæ fingere tibi placeat, amplissimis privilegiis in illum, ejusque Socios derivatis, verte quæso oculos quocumque velis, & dispersos ubique post fractam Navem circumspice Socios, qui eadem, qua Suarius, & Bellarminus, indivisa mente privilegia sustinent egregie S. Sedis, & inconcussas asserunt Petri Successoris prærogativas innumeris scriptis libris, non sine magno incommodo pro temporum calamitate compositis, & in angusta rerum omnium penuria editis. Lege,

Digitized by Google

si placet, Bibliothecam nuper editam Romæ Cl. D. Joſephi Cernitori, ubi ex omni ferme, quæ sub cœlo est, natione conspicies innumeros Scriptores pro Sede Petri strenue pugnantes, Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, Lusitanos, Sardos, Americanos, qui Religionis, quam vellicas, extitere quidem Socii, nec tamen arma contra Pontificiæ Auctoritatis osores post excidium commune deposuere, sed ea potius excoquere visi sunt, & ad novas pugnas exacuere. Nec dices, credo, magnis fuisse auctos per annos amplius viginti privilegiis, ex quibus contentio, metus, & assentatio eos in tantam consensionem deducerent. Alia est igitur causa tantæ consensionis, nec vero distincta a rationibus illis, ex quibus in unam semper conspiravere sententiam Suarius, Bellarminus, cæterique ejusdem Societatis Antesignani. Religionis ardor, Ecclesiæ decus, Suprema Petri Successoris Dignitas, Primatus, & amplissima Jurisdictio, Traditio, Patres, Antiquitas veneranda impellunt, excitant, movent, quæ confracti Corporis superfuere, reliquias, ut Majorum terentes viam, qua possint ope, facultateque, egregios pro Sede Petri conscribant libros, & intimam, ac debitam Supremo Ecclesiæ Capiti obedientiam asserant.

Expensis jam Auctoris Defensionis puerilitate, & malitia, quæ nemo prudens tribuat Meldensi Episcopo eliquati simul, & moderati ingenii, clariora altera proponamus, ex quibus dubitari vix possit de Opere plane supposito. In Editione 1. lib. 3. Cap. 12. emicat eximia laus, qua Bossuetium celebrat Defensionis Auctor extollens Opus de expositione Fidei. Et quis credat verum se celebrare Bossuetium, seipsum insigni recommendatione per duas, tresve columnas prædicantem? Crassa hæc esset in virum non ita sapientem intemperantia. Et quid dicam de verbis illis, quæ post laudes Operi cumulatissimas adduntur? *Nec mirum ita esse quæstionem a doctissimo Antistite constitutam &c.* Turpe quidem est aliorum laudes in te dictas congerere; at te ipsum impudenter celebrare, & verbis te disertis *doctissimum* prædicare, summum esse videtur stultis-

Digitized by Google

simæ levitatis. Id autem Bossuetius, vir ille prudens, circumspectus, & vere sapiens nec admisit, nec scripsit, nec posteritati reliquit. Hæc ego cum legerem ita monstrosa, quæ non poterant non a pseudo-Bossuetio observari, dubitare cœpi, utrum aliqua in Præfationibus, vel Dissertatione prævia præmitteretur notatio, ex qua colligi utcumque posset, Caput illud 12., in quo hæc habentur, non tribui ab Auctore Bossuetio, sed alteri. Nihil tamen invenire potui ad elevandam invidiam opportunum, sed multa potius ad illam augendam continenter scripta. Primum enim in Editione Lugani nuper laudata de libris Appendicis, ubi laus est, & præconium impudens, dicitur in Præfat. pag. 29.: *In illis quoque libris ubique sentias magni Meldensis Episcopi & stylum, & ingenium*. Deinde ipse Meldensis est, qui apud Auctorem proloquitur in Præfatione, ordinem indicans in Appendice servandum, & dicendi rationem, oratione videlicet continua, distinctione Capitum, ac præfixa etiam summa, quæ juvare memoriam possit ad rerum dicendarum seriem, & intelligentiam. Quin immo Caput unum de Actis Eusebii Rom. Presb., ac Mart., quod a Bossuetio dicitur fuisse deletum, ad calcem operis cum Editoris admonitione rejicitur. Ita omnino actum est religiose, si fides Editori habenda est, cum singulis Bossuetii verbis, atque sententiis.

Simile est, aut forte majus quod in Præfat. pag. 3. de seipso scribens inducitur Meldensis contra Disquisitorem: *Qui si sacro Cætui, totque privatis Conventibus per quatuor menses habitis adfuisset; si disserentes audisset illustrissimos Archiepiscopos Parisiensem, & Rhemensem, Sacri Cœtus Præsides, totque alios Episcopos doctrinæ, atque eloquentiæ laude conspicuos, eos vero maxime, qui ad id negotium deputati, Tornacensem dico, MELDENSEM &c.* Quid ergo? Credere hominem sanæ mentis oportet, Bossuetium adeo fuisse christianæ modestiæ, atque sui oblitum, ut se non modo Episcopum *doctrinæ, ac eloquentiæ laude conspicuum* prædicaret, sed etiam hanc doctrinæ, & eloquentiæ laudem sibi, & Episcopo Tornacensi præ cæteris Conventus Episcopis adscriberet, eaque in scriptis, quæ jussu Regis elaboranda susceperat, posteritati relinqueret?

Digitized by Google

Quod si hæc, quamvis efficacissima, non frangant forte animum pertinacem pro legitimo Bossuetii fœtu pugnantem, addenda sunt alia, ex quibus magis adhuc oculis subjiciatur quam sit discrimen ingens inter ea, quæ de S. Petro, plurimisque Summis Pontificibus tradit Auctor Defensionis, & quæ traduntur a Bossuetio in legitimis, quæ nemo negat, Operibus. Docet Bossuetius verus in Sermone habito ad Conventum ann. 1682.: *Petrum ipsum in ea sententia Christi: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: fuisse a Christo constitutum Ecclesiæ fundamentum*. Docet pseudo-Bossuetius toto Cap. 2. lib. 15., quod *non Petrus ipse, sed vel Fides, quam Petrus confessus erat, vel Petri officium prædicandæ nimirum Fidei, Ecclesiæ fundamentum fuerit constitutum*: & quod laudato oraculo Christi *accepit munus asserendæ Fidei, non ut muneri non deesset*. Unde adducit exemplum Petri non recte ambulantis ad veritatem Evangelii, ut probet Romanos Pontifices officio desse posse confirmandorum fratrum. Docet Bossuetius verus, ubi supra, Christum illis verbis *suæmet ipsius firmitatis characterem in Petro impressisse*; unde certum esse pronuntiat, Petrum *non in Fide, sed in modo agendi peccasse a Paulo reprehensum*. Et rem ipsam sobrie, ut par est, & modeste refert dicens: quia *minus recedens Petrus a conversis Gentilibus aliquam divisionis speciem in Ecclesia ponebat, in Fide non peccabat, sed in agendi modo; id scio, id veteres dixerunt, idque certum est*. Docet pseudo-Bossuetius, quod *a Petro prava simulabantur, avertebantur a Fide Gentiles; ipse Barnabas, nedum confirmaretur a Petro, in pessimæ simulationis societatem trahebatur*.

Verus Bossuetius exprobrabat in Instruct. Past. *de Promiss. Ecclesiæ* pseudo-Ministro Jurio, quod, cum Liberii lapsum ostentaret, ejus tamen ad suum officium reditum taceret, ac dissimularet. At pseudo-Bossuetius Caput integrum insumit in lapsu Liberii mille nominibus exaggerando, nulla de Liberii reditu mentione facta. Propugnat data opera verus Bossuetius contra Jurium: *Liberium non nisi violentia, ac vi aperte cessisse*. Jactitat e contra pseudo-Bossuetius, *nihil magis* infregisse Liberium, quam *pra-*

Digitized by Google

vam cupidinem suæ recuperandæ Sedis, hancque fuisse Dalilam, quæ hunc Sansonem corruperit. In celebri sermone ad Cœtum ann. 1682. habito pronuntiat verus Bossuetius: *unum, vel alterum e Romanis Pontificibus fuisse, qui contra omnium suorum Prædecessorum morem satis non explicaverit Fidei doctrinam.* Et ad culpam elevandam addit, ab uno illo, vel altero Pontifice factum id fuisse *per vim, vel per circumventionem.* At quid hic pseudo-Bossuetius part. 2. lib. 11. & 19. per multa capita? Quam multo grandine nimbi culminibus crepitant, sic ictus in nos replicat innumera recensens Pontificum errata, lapsus, decisiones, & alias ex aliis infidelitates, iniquas supponens criminationes, atroces impingens calumnias, & apertissimas scribens falsitates, quas excidisse Catholico, credere refugit animus pietatis omnino non surdus.

Pontificum Romanorum, qui in causis Fidei lapsi sunt, seriem, ac catalogum orditur a Liberio, *qui fœdissimis,* inquit, *ac miserabilibus litteris omni ope infringebat Fidem &c.* Liberium excipit Zosimus, qui *Cœlestii Pelagiani Confessionem aperte hæreticam probat.* Inde *Hormisda*, tum *Joannes VII.* Hos sequitur *Honorius Monothelita in Epistolis Dogmaticis, & Decretalibus docens universalem Ecclesiam.* Uno dein agmine procedunt *Gregorius II. in Decretali docens manifeste pugnantia cum Evangelica Christi doctrina, Stephanus II. respondens contra Evangelium, Nicolaus II. expresso Decreto falsum Baptismum cum vero æque firmans, & Sergius III., qui sub anathematis pœna imperat quæ contra Fidem, & Catholicam Religionem agerentur.* Quam sane numerosa errantium Pontificum caterva? Audi tamen alios, nec enim completa mensura est. *Gregorium*, pergit, *VII., ejusque Successores liquido demonstravimus Evangelicæ veritati, & antiquissimæ traditioni repugnasse. Hi Romani Pontifices Catholicos in errorem inducebant.* Quinam isti? Bonifacius VIII., Paschalis II., Alexander III., Innocentius III. semel, iterum turpissime errans, Cœlestinus III., Nicolaus III., seu IV., Marcellinus. Et quo quæso pacto ista concordant cum serie non interrupta Pontificum, in qua fuit semper ex pseudo-Bossuetio immaculata Petri Fides, inviolabilis Fides Aposto-

Digitized by Google

licæ Sedis? Sed de his jam alias; filum teneamus. Nonne Bossuetius cum cæteris Galliarum Episcopis ann. 1682. congregatis *profitebatur*, *tantum Romano Pontifici deberi*, *quantum olim a Majoribus nostris Sedi Apostolicæ delatum est?* Nonne cum memoratis Episcopis *minime censebat refricanda infausta Bonifacium VIII. inter*, & *Philippum Francorum Regem dissidia*, *tenebris*, *non ostentatione digna?* Cur igitur Defensor, Bossuetii personam induens, *delatum* a Majoribus suis Sedi Apostolicæ honorem, reverentiam, & submissionem totis viribus exagitare videtur, viam sternens, muniensque Fidem nostram Catholicam pessumdantibus? Cur hostili, & irato calamo tria ipsa insumit Capita in prodendis, & ostentandis dissidiis infaustis, quæ silentio erant æterno sepelienda? Cur illustrissimum Petrum de Marca, virum tanti apud Gallos nominis, traducit tamquam *versatilis ingenii* hominem, qui *nova*, *inaudita*, *aliena*, *respuenda* tradiderit de libertatibus Gallicanis? Sic ejus cineribus non pepercisset Bossuetius, Gallus ipse, Præsul ipse Galliæ, singulari cum Marca, ut perhibent, amicitia conjunctus!

Quid jam dicam de favore, quem præstat Quesnelli sequacibus, dum Lib. XIV. Cap. I. significat: *ad conciliandum judiciis Pontificiis firmum*, & *indeclinabile robur requiri*, *ut omnes in Romani Pontificis sententia recognoscant Fidei suæ sensum*, *NULLUSQUE RECLAMET?* An non ista est Quesnellianæ factionis cantilena perpetua? Id autem de vero Bossuetio magis credat quisquam, quam quod scribit p. 2. lib. 19. cap. 38. christianis auribus horrorem ingenerans: *A Romano*, videlicet Sergio, *imperata ea fuisse*, *QUÆ PER VIGINTI ANNOS IN UNIVERSA ITALIA*, *atque adeo IN IPSA ROMANA ECCLESIA SACERDOTIUM*, *SACRAMENTA*, *atque IPSAM CHRISTIANITATEM EXTINGUERENT*.

Quæ cum ita sint, ut exposuimus, quid jam habere debet auctoritatis primi, secundi, nec tertii Editoris testimonium pro vero, & germano magni Bossuetii Opere, & Defensione Declarationis, verbis, sensui, testimoniis illustrissimi Præsulis omnino contraria? Enim vero Bossuetii Nepos publice testatum voluit, Meldensem Patruum suum pro de-

Digitized by Google

fendenda Cleri Gallicani ann. 1682. Declaratione speciali jussu Ludovici Magni Opus elaborasse, addens se manuscriptum hujusce Operis exemplar in manus ipsius Ludovici consignasse. Sint sane ista qualia narrantur. Quamvis Soardi lib. 4. Cap. V. §. 1. Operis laudati testatum reliquit, hoc exemplar in Bibliotheca Regia non extare, nec ullum inveniri vestigium, quod in ea unquam extiterit; pro qua re testimonium affert D. Salier Præfecti Regiæ Bibliothecæ, & D. Carpentier e Bibliothecariis antiquioris. Sed qua quæso mente, qua ratione, quo spiritu illustratam, ac defensam voluit Meldensis laudatam Cleri Gallicani Declarationem? Id certe nos latet, & id tantum invictissimis, quæ protulimus, argumentis videtur esse perspicuum, ejus non esse Defensionem, tanti Viri doctrinæ, eruditioni, ac pietati prorsus repugnantem. Neminem sane latet, sicut in omni ætate, ita potissimum in his extremis temporibus, quamplura sub magnorum Virorum nomine vulgata fuerint Opera posthuma, ut eis auctoritas, quam de se non habent, hac ex parte apud incautos concilietur. Num genuinum Bossuetii fœtum esse credideris Opus posthumum sub ejus nomine typis mandatum: *Defensio Considerationum Moralium Patris Quesnelli?* Auctor tamen Gallus in Opere – *Memoire donné en* 1719. *sous les noms des Messeigneurs les Evêques de Mirepoix &c.* – magno studio contendit exactum fuisse fidelissime ad primigenium magni Bossuetii Codicem, quem fidenter affirmat extare in Episcopi Trecensium manibus, & ab altero Galliæ Præsule visum esse.

Fateor enim vero Quesnellum (ut videri potest apud Christophorum Jacobs sup. Const. *Unigenitus* Tom. 1. in Proleg. cap. 14. a p. 82.) hoc de Meldensi Episcopo spei suæ testimonium scripsisse: *Hoc Sponsore, & Vindice, si Considerationum Moralium liber consistere securus, intactusque non possit, quid jam tutum esse potest, & extra censuræ periculum?* Nec negari posse videtur, multis usos fuisse dolis Jansenianos, ut Bossuetium occuparent; sed cum intellexissent, Meldensem centum, & viginti correctiones, quam inhiabant, Defensioni præmittere, nec Quesnelliani admittere illam voluerunt, nec Meldensis judicavit

publicandam esse. Quo ex tempore Quesnellus, ut impudens, versatilis, sibique non constans, tot cœpit effutire contra Meldensem injurias, ut quod *homo* esset *nihili, miserabilis, contemptu dignus, propheta claudicans in utramque partem, qui veritatem nolit cognoscere, ne sequi teneatur, homo nullius judicii, subversi cerebri, turbato capite insaniens*. Vide hæc, aliaque non minus pulchra apud laudatum Christophorum Quesnelli litteras proferentem, & ex uno disce laudes, quas cæteri ejusdem furfuris Ecclesiæ repugnantes, pro suo quisque obstinato judicio, impertiri solent.

Ad summam nec Bossuetii fœtus est liber posthumus: *Defensio Considerationum moralium &c.*, nec posthumus alter: *Defensio Declarationis Cleri Gallicani*: unde cuiquam fas erit uti verbis illis, quibus egregius Catholicæ Doctrinæ Defensor utitur contra Novatores, qui vulgatam istam Cleri Gallicani Defensionem laudabant, ut se Bossuetii auctoritate defenderent. Is est Eminen. de Tencin Archiep. Lugd. in Document. Past. ita suos informans subditos: *Monspessulanensis Antistes* (in Docum. Past.) *ea contra nos profert posthuma Bossuetii Opera, quorum utique nec erit unquam, nec esse poterit tanta auctoritas, quantam in famosis illis Operibus ab ipso Auctore publicæ luci, ac utilitati consecratis agnoscimus. Cariorem sui memoriam reliquit nobis Magnus Meldensium Præsul, quam ut ea veneremur scripta in eum finem, uti videtur, fabricata, ut Bossuetium cum Bossuetio male committerent; quæ quidem, si illum auctorem, ac parentem vere habeant, jure, meritoque judicare possimus, ejus illa generis Bossuetio visa fuisse, ut quæ publicam aspicere lucem non mererentur.* Quin immo ex dictis videre quisque poterit quam sit verum quod olim ajebat eruditissimus Pontifex Benedictus XIV., & identidem repetebat, non esse fœtum Bossuetii Defensionem per injuriam ipsi tributam Declarationis Cleri Gallicani. Cujus rei testimonium habeo de immediato auditu manu attestantis subscriptum Virum litteratum, in Italia potissimum satis notum, Emmanuelem Azevedo Convictorem meum, qui ut ad tanti Pontificis familiarem consuetudinem ob præclaras lepidissimi ingenii dotes admissus

est, sic cum frequenter audivit de hac Bossuetio impacta calumnia non sine animi commotione loquentem.

CAPUT IX.

Proponitur, & nullum esse ostenditur Pontificiæ fallibilitatis argumentum ex Concilio Constantiensi desumptum.

Non est animus omnia discutere, quæ in tot scriptis voluminibus, & nominatim in Defensione Declarationum hic, & inde coacervantur argumenta contra veram, communemque sententiam. Id enim proprium non esset instituti nostri, & ex altera parte nemo unus præjactum de Pontifice ex Cathedra dicente principium expendens inania esse plurima non videbit. Proponenda tamen sunt aliqua, quæ majorem quamdam habere videantur veritatis speciem, ut ex eorum inefficacia magis animus in vera firmetur infallibilitatis sententia. Sit primum quod desumitur ex Concilio Constantiensi expresse, ut dicunt, definiente, quod supra Papam sit generale Concilium, & quod huic ille subjiciatur, cum de Fide agitur, & de Ecclesiæ reformatione. Idem definitum esse contendunt Adversariorum plurimi in Basileensi Concilio, in quo Decreta Constantiensis renovata sunt, & ex tempore, quo facta est renovatio isthæc, pro legitima habita fuisse videtur Synodus illa a Summo Pontifice Eugenio hujus nominis quarto.

Hoc est Gallorum, ut dicunt, invictum argumentum, quod tamen nullum esse prorsus quisque conspiciet, si vel ad illam tantopere decantatam 44. Episcoporum Declarationem advertat animum. Si enim Pontificis fallibilitas decisa jam est in Conciliis, & in Fide firmata, cur Episcopi Declarationum auctores testati sunt toties in litteris ad Apostolicam Sedem datis non fuisse eorum animum quidquam decernere? Cur item reliqui, qui deinceps ad Episcopatum assumebantur, id ipsum protestabantur? Cur Galliarum sapientissimi quique scripsere perpetuo in Declaratione contineri adoptionem opinionis puræ, ac subinde formidolosæ, cujus sane generis esse non potest assen-

sus circa veritatem Fide jam certam, & in Concilio definitam? Nonne ipse Bossuetius aperte declarat in Universitate Parisiensi, non esse de Fide Concilium esse supra Pontificem? Et sane in lib. 1. Defens. Cap. 3. dicitur expresse; *etiam post Decreta Concilii Constantiensis quæstionem de Summo Pontifice adhuc in suspenso relictam, & indecisam esse, ac libere utrinque agitari*; quantumvis in Declaratione ipsa, ne desit incohærentia hac etiam ex parte, dicatur: *valeant, & immota consistant sancta Œcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata Decreta*. Ipse quoque Jacobus Lenfant, quamvis Calvinista, in historia Concilii Constantiensis tom. 1. pag. 89. *hanc eamdem quæstionem Decretis Concilii Constantiensis non potuisse adhuc terminari* pronuntiat. Quin immo Gerson ipse impugnatorum princeps non multum, ut videbimus, huic fidit argumento. Cur igitur tanti fit a plurimis Adversariorum hoc a Constantiensi Concilio desumptum argumentum clamitantibus apud imperitos, rem essem decisam in uno Concilio, & ab altero confirmatam? Ut nimirum magis innotescat, lipporumque oculis subjiciatur incohærentia doctrinæ.

Jam vero, ut facti veritas viam paret, sternatque intelligentiæ dicendorum, sciendum est, Joann. XXIII., cujus auctoritate indictum est Constantiæ Concilium, usum non esse potiori, vel certiori jure ad indictionem Concilii, quam duo alii competitores Gregor. XII., & Benedictus XIII. eidem indictioni repugnantes, nec de electione Joannis minores fuisse difficultates juris, & facti post Pisanam Synodum, quam quæ inveniebantur ante illam in causa, & electione Gregorii, ac Benedicti. Hinc dubium exoritur, utrum Concilium Constantiense, quod ab initio, & in tempore, quo factæ sunt decantatæ Sessiones 4., & 5. de Pontificis loquentes potestate, ex sola Joannis XXIII. obedientia constabat, fuerit tunc temporis Œcumenicum, totamque repræsentans Ecclesiam, deficientibus duabus aliis Gregorii, & Benedicti obedientiis, quæ nec schismaticæ erant, nec ab Ecclesia ulla ratione avulsæ. Præterea Sessionum memoratarum Decreta eo sunt facta tempore, quo non solum aberat Joannes, & ejusdem Legati, sed e-

Digitized by Google

tiam cum palam repugnavit. Accedit quod vel ipse Cardinalis Alliaco in tractatu de Potest. Ecclesiæ advertit, Decreta Synodi ob defectum distincti suffragii Colleg. Card. non credi a multis *conciliariter facta*, & de hac ipsa Cardinalium exclusione Regis Galliæ Oratores in protestatione Concilio exhibita non leviter esse conquestos. Præterea constat, Cardinales accuratum in re nova, & gravissima examen, & conciliarem discussionem postulantes, non esse auditos, & factas esse omnino temere, & præcipitanter Sessiones, ut Ballerinius observat cap. VII. de Potest. Pont. num. 1.

Nec ignoramus, Joannem XXIII. multa alia objecisse penitus irregularia rebus in Synodo gestis, ut patet ex litteris datis ad Ducem Aurelianensem, & ad Parisiensem Academiam, in quibus conqueritur, Constantienses Patres ad suffragia ferenda distributos fuisse in Nationes quatuor, easque inæquales; & suffragia non singillatim, & per capita, sed per Nationes in publicis Sessionibus ita fuisse computata, ut eadem esset suffragii vis Nationi Anglicæ paucissimis Episcopis constanti, atque Italicæ, & Gallicæ, quæ ex plurimis Præsulibus conflabatur. Quodque mirabilius videri potest ad suffragium ferendum, admittebantur sine ullo discrimine Clerici, Laici, uxorati, nec solum Nobiles, sed infimæ etiam, abjectæque plebeculæ homines.

Tot, tantisque defectibus sanandis erat maxime necessaria, si unquam alias, Summi Pontificis approbatio, & confirmatio Apostolica, quæ una posset rationi agendi penitus irregulari mederi, eaque non confusa, non obscura, non ambigua, quæque in utramque partem posset exponi, sed clara, distincta, formalis, & expressa, quæ sola Decretis tam dubiæ auctoritatis veram, & solidam certitudinem, & infallibilitatem tribueret. At quænam est quæso certa hæc, ac explorata, minimeque dubia Apostolicæ Sedis confirmatio? Eam profecto frustra quæres. Nam Joannes XXIII., qui a Constantiensibus habebatur legitimus Pontifex, ante Sess. 3. se a Concilio subtraxit, & quartæ, quintæque Decreta non probavit. Martinus V., qui post ab ipso Concilio electus est Pontifex, probare non potuit

Digitized by Google

Decreta, cum tanquam unus e Cardinalibus Concilio interesset. Factus vero Pontifex probavit quidem Decreta contra Joannem Wicleffum, Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem duabus editis Constitutionibus ante finem Concilii 8. kalendas Martias, & in earum altera defectus, quicumque tandem in illorum condemnatione admissi fuissent, ab se sanari, & quidquid defecisset, a se suppleri affirmavit. At vero Decreta 4., & 5. Sessionis adeo illum non probasse, exploratum est omnibus, ut ea potius certissime reprobaverit. Primum quia in eodem ipso Concilio Polonis Oratoribus sub pœna excommunicationis prohibuit, ne a Pontifice ad generale Concilium appellarent: deinde quia speciali Bulla declaravit, nullo unquam casu licere ab Apostolicis judiciis per ejus generis appellationem se subtrahere. Et quod amplius mirere, ipse Joannes Gerson Decretorum 4., & 5. Sessionis promotor, & vindex conquestus est in Dialog. Apol. tom. 2. pag. 390. hanc eamdem Martini Bullam Decretorum Constantiensium fundamentale robur penitus destruxisse.

Sed inspiciamus Decreta, quæ data non sunt *conciliariter* per modum definitionis Fidei, sed quasi *œconomice* per modum Constitutionum Synodalium; quo facto examine res adhuc clarius oculis subjicietur. In Sessione 4. sic habet Decretum tom. 16. Conciliorum col. 5.: *Hæc sancta Synodus generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris facienda ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitime congregata ad consequendam facilius, securius, liberius, & uberius reformationem Ecclesiæ Dei, disponit, statuit, decernit, & declarat ut sequitur. Et 1. quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujusque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris.* Postrema hæc verba *in reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris* non solum deesse in MSS. Codicibus Vatica-

Digitized by Google

nis ab Schelestratio laudatis, verum etiam in duobus Vindobonensibus, in Wolfenbuttelensi, Brunswicensi, Gothano, & Lipsiensi docent nuperi Editores hujus Concilii in Germania tom. 4. part. 1. pag. 86. 87. 88. 89., ex quibus Vaticanorum exemplarium vindicatur fides, cum præsertim ea ipsa verba desiderentur etiam in antiquo MS. Actorum Concilii Basileensis, quibus epitome inserta est Decretorum Constantiensium.

In 5. Sessione Decretum ipsum laudatur, Sessionis 4. omissione suppleta; sed tum in initio, tum in fine Sessionis satis insinuatur, Decretum insertum non esse Fidei definitionem; sic enim dicitur initio: *Surrexit de Mandato totius Synodi Rev. P. Dominus Andreas Electus Poznaniensis, & certa capitula per modum Constitutionum Synodalium* (nota verba Fidei definitionem minime continentia) *prius per singulas 4. Nationes conclusa, & deliberata legit, & publicavit*. Hic inseritur Decretum Sessionis 4., & concluditur hisce verbis: *item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis ... non obedire contumaciter præsumpserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur*.

Nunc autem audire cupio, utrum mandatum, ordinatio, statutum, seu præceptum latum per modum *Constitutionis Synodalis*, ex qua pœna condigna dicitur injungenda, si quis contumaciter non obedire præsumpserit, sit vera definitio veritatis ab omnibus Fidelibus Fide divina credendæ, ita ut qui aliter sentiat, sit ille a Fide alienus, ab Ecclesia præcisus, & hæreseos anathemate percussus. Quod si non omnia Decreta Pontificis in materiis quantumvis Dogmaticis Dogma Fidei constituunt, ut recte observat cum cæteris Theologis Magister Canus 5. de loc. cap. 3., qua id ratione suadendum est de hujus Synodi Decretis, in quibus eas Fidei notas non videmus, quibus Fidei Dogmata internoscuntur? Solum ergo ibi usi sunt Patres opinione, quæ apud aliquos invaluerat, de superioritate Concilii supra Pontificem, eamque in casu schismatis adoptasse videntur. Quod manifeste colligitur ex diversa omnino formula, qua usi sunt in condemnandis erroribus

Digitized by Google

Wicleffi, Hus, & Pragensis. Hic plane videmus notas, quibus res Fidei proponuntur credendæ Fidelibus. Nec omittendum, quod, cum ageretur de his erroribus condemnandis, & exorta fuisset quæstio, num Papæ, an Concilii nomine promulgandum esset proscriptionis Decretum, late disseruerit in Conventu Theologorum Cardinalis Cameracensis contendens, illud esse promulgandum nomine Concilii, & quod ex 40. Doctoribus 8. supra 20. nomine Papæ promendam esse sententiam definitivam existimarint, & Cardinali suam acrius opinionem tenenti fere omnes in faciem restiterint. Quis autem credat orituram esse tam acrem contentionem in Sess. 6., si Fide certum esset apud Patres quod in Sess. 4., & 5. decretum erat? Vide Ballerinium de Potestate Ecclesiastica cap. 8.

Rem jam nimis sane longam concludamus responsione illa, quam, ut legimus tom. 16. Conciliorum col. 746., dedit ipse Martinus Papa Polonis petentibus cujusdam libri condemnationem: *se omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materia Fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter observare, ipsa sic conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo*. Per quæ verba *conciliariter, non aliter, nec alio modo* satis significantur facta in Wicleffum, Hus, & Hieronymum Pragensem.

Quod si quis munire se velit ad Concilium recurrens Basileense, malæ sane causæ pejus inveniet patrocinium. Nam quæ Eugenii IV. referuntur litteræ, datæ scilicet die 18. Januarii ann. 1433.. & quæ in Actis Concilii Sess. 16. inveniuntur Decreta, nihil omnino valent pro re conficienda. Porro ante Actionem 2., in qua Decreta Constantiensis inserta sunt, jam erat solutum Concilium, nec Legatus Pontificis præsentiam exhibuit, aut assensum repetitioni Decretorum Constantiensium; sed e contrario Eugenius tum per Nuntios, tum per Epistolas apud omnes Nationes de illis Decretis conquestus est. Erat igitur jam per varias Bullas Concilii soluti facta declaratio. Quod si deinceps videns Pontifex, intenta contra se molimina declinare non posse, & enormia scandala continuari, nisi, revocatis Bullis, declararet, legitimum esse Concilium ex

Digitized by Google

quo cœptum est, & continuari debere, id egit omnino vi coactus (ut testis est Cardinalis Turrecremata unus e Concilii Patribus in Sum. de Eccl. cap. 100.), & dedit prorsus invitus litteras, quæ objiciuntur, credens hac forsan ratione fieri posse, ut facilius alio transferretur Concilium, ubi Ecclesiæ necessitatibus æquius prospiceretur, vitarentur scandala, & Apostolicæ Sedis auctoritas detrimentum non caperet.

At hæc declaratio legitimi Concilii vi facta ad majora vitanda scandala, (de qua non disputo justa ne fuerit, an injusta) quid tandem continet definitionis rei per Fidem credendæ? Quid item approbationis, seu confirmationis rerum in Concilio gestarum? Profecto idem Summus Pontifex Eugenius Cardinali Juliano in solemni Congressu Florentiæ habito litteras objicienti memoratas pro continuatione Concilii Basileensis verbis respondit expressis approbationem negantibus: *Nos quidem*, dixit, *bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut inceperat; non tamen approbavimus ejus Decreta*. Ita testatur loco supracitato Cardinalis Turrecremata.

Multo minus opponere possunt Adversarii auctoritatem Concilii Pisani, quo facta est, seu declarata depositio duorum contendentium Gregor. XII., & Benedicti XIII., electo alio tertio Alexandro V., cui deinde successor est datus Joann. XXIII. Hic enim videtur fuisse error pejor priore, ex quo extitit, ut non jam duo, sed tria inter se capita de Pontificatu contenderent. Porro in hac Synodo nullus factus est Canon, nullum formatum Decretum contra infallibilitatem Pontificis, sed solæ sunt editæ depositiones contendentium, quæ factis, & circumstantiis involutæ non pertinent, ut inquit expresse Bossuetius, ad Dogma Fidei. Deinde si res inspiciatur attente, ratio ipsa, quam tenuit Pisana Synodus in duobus illis Gregorio, & Benedicto deponendis, manifeste declarat, non censuisse Patres, Concilium esse supra Pontificem, sed unice posse Concilium Papam, jam a se ipso ob crimen schismatis, & hæresim depositum, ut talem declarare. Legatur Sessio 14., in qua, antequam in eos feratur, vel potius declaretur depositionis sententia, jam proponuntur

Digitized by Google

ut notorii schismatici, & hæretici ipso facto a Deo depositi.

Tandem Pisanam Synodum non esse Œcumenicam, seu universalem, vix non certum esse videtur ex variis capitibus. 1. Quia convocatio non creditur fuisse legitima, utpote facta a Cardinalibus utriusque obedientiæ, cujus alia Gregorium, alia Benedictum ut verum Pontificem habebat, sed horum nemine approbante, immo potius utroque acriter repugnante. Nam Gregorius Concilium indixit celebrandum Forojulii, & Benedictus Perpinanii. Unde triplex erat in diversis locis indictio facta Concilii. 2. Quia nullus interfuit in Pisana Synodo Episcopus ex Hispania Benedictum sequente; ex Regno item Scotiæ defuerunt omnes; multi etiam ex Italia, ac Germania. Qua igitur cohærentia appellare potest Pisanum Concilium *Œcumenicum* verus, aut falsus Meldensis Episcopus, qui negat expresse Œcumenicum fuisse Concilium VI. propterea quod abfuerunt Hispaniarum Episcopi?

Video equidem Pontificem verum huic posse mederi defectui approbatione sua. At quis verus, & indubitatus Pontifex huic Synodo approbationem, seu confirmationem præstitit? Certe confirmatio Alexandri in ea Synodo electi nulla est; nam auctoritas incerta certam, & idoneam confirmationem præbere non potest; est enim ex dictis omnino incertum, utrum Pisana Synodus Pontificem eligere posset. Cujus est manifestissimum indicium, quia nec ut schismatici, nec ut hæretici sunt habiti qui vel partibus Gregorii, vel Benedicti sequacibus adhæsere post Pisanam Synodum, nolentes Alexandrum agnoscere, aut illi tamquam Pontifici obsequi. Nec Joannes XXIII. Alexandri successor obtinere ulla ratione potuit sub initium Concilii Constantiensis, ut ratum, & Œcumenicum propugnaretur Concilium Pisanum. Restitit enim ei Cardinalis Alliaco dicens: *duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinione diversa, & adversa varietate non sunt minores difficultates juris, & facti, quam ante Concilium Pisanum erat de justitia duorum contendentium*. Vide tom. 16. Concil. Venet. Edit. col. 38. lib. 3. Histor. Con. Pisan. num. 77., & S. Antoninum part. 2.

Digitized by Google

sum. tit. 3. cap. 11. §. 6., & sequentibus. Ubi etiam describit Cancellarii Parisiensis conclusiones de hoc argumento a tota Universitate Parisiensi approbatas.

CAPUT X.

Alterum argumentum de dissidio inter Stephanum, & Cyprianum super Baptismo ab Hæreticis collato.

Alterum argumentum contra infallibilitatem Pontificis desumitur ab Adversariis ex resistentia Cypriani contra Stephanum Papam contendentis, venientes ad Ecclesiam ab hæreticis baptizatos esse iterum baptizandos. Nec solum Cyprianus errare judicabat Stephanum decernentem, *nihil esse innovandum nisi quod traditum est*, ex quibus verbis rebaptizationem aperte prohibebat; sed etiam Augustinus in eadem Cypriani videtur fuisse sententia, cum in lib. 2. de Baptismo cap. 4., & lib. 3. cap. 4 scribebat, se quoque (etiam post editum Stephani Decretum) iturum in Cypriani sententiam, nec ausurum contrarium asserere, *nisi Ecclesiæ toto Orbe diffusæ, plenariique Concilii auctoritate teneretur*. Sensit ergo Cyprianus acriter obsistens Stephano, & sensit Augustinus ipsum eumdem excusans Papam esse fallibilem in Fidei Decretis, eaque vim Dogmatis habere non posse, nisi Ecclesiæ toto Orbe diffusæ, aut universalis Concilii auctoritate, & approbatione firmentur.

Verum argumentum ex Cypriano, & Augustino petitum contra Pontificis inerrantiam in rebus Fidei definiendis duplici æquivocatione laborat. Prima est, quia supponit Augustinum, & Cyprianum existimasse Decretum Stephani fuisse propriam Fidei definitionem. Altera est, quia ut certum assumitur, credidisse Augustinum, definitionem propriam Fidei, in re licet obscura, & tot difficultatibus involuta, non potuisse Fideles ad assensum obligare, nisi Concilii plenarii accederet confirmatio. Quod utrumque falsum est, & utrumque menti Patris plane contrarium. Et ut ab ultimo incipiamus, nonne Augustinus tanti facit auctoritatem Romanæ Sedis tum in causa Donatista-

Digitized by Google

rum, ut illa sola satis eos perstringendos censuerit, (ut patet ex psalm. contra partem Donati, & ex Epistola ad Generosum), tum in causa Pelagianorum, ubi post acceptum dogmaticum Innocentii responsum, in publica prædicavit concione Serm. 131. num. 10.: *Inde rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* Mitto alia S. D. innumera loca non hic brevitatis causa interserenda. De Cypriano nihil dico, cum mens ejus adeo sit clara pro auctoritate Pontificis infallibili in rebus Fidei, ut nemo contradicere debeat: cum S. Pater non aliter unitatem Fidei conservari posse dicat variis in locis, nisi ex concordia cum Capite; quod etiam tradit de unitate Ecclesiæ eleganti illa metaphora: *rivulorum unitas servatur in origine.*

Primum etiam illud falsum est. Nec enim Cyprianus, & Augustinus illud Stephani Decretum ut Pontificiam in Fide definitionem tenuerunt, sed ut Decretum œconomicum disciplinam spectans: *Noluit* (inquit Bellarm. l. 4. de Summ. Pont.) *rem ipsam* (Stephanus) *de Fide facere sine generali Concilio.* Et hæc est causa, propter quam Stephanus Decretum non edidit formam, ac vim dogmaticæ definitionis proferens. Hæc enim Decreti sunt verba: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, & manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Quibus in verbis nihil proponitur credendum, nec abscinduntur reluctantes ab Ecclesiæ unitate, & communione, ut fieri consuevit in dogmaticis definitionibus. Minas certe addit excommunicationis Stephanus; sed hæ solent in Decretis œconomicis non obedientibus intimari.

Nec vero solum cum Africanis fuit hac in re quæstio Stephano Papæ, sed fuerat etiam ante cum Asianis, quos in Decreto, quod eorum scripsit causa, non abscidit a communione, sed minitatus est dumtaxat, se ob illam causam ab eorum communione discessurum, ut discimus ex Dionysii Alexandrini litteris ad Xistum. Jam vero communionem inter Stephanum, & Cyprianum non esse sublatam, auctor est Augustinus, qui de ambobus sermonem faciens, eos in unitate, & communione perstitisse, multis

Digitized by Google

in locis pronuntiat. Et in lib. 5. de Baptismo num. 36. sic ait fuisse conjunctos, ut *in tali disceptatione nullum inter eos malum schisma oriretur*.

Nec refert quod dicat Stephanus in Decreto, *nisi quod traditum est*. Notum est enim, diversa esse genera traditionum, earumque aliquas ad disciplinam spectare, ut explicuimus dissertatione præcedenti §. 4. Hujus ultimi generis esse traditionem, de qua loquebatur Stephanus, credidit sine dubio Cyprianus. Nam consuetudo, qua hæretici ad Ecclesiam venientes baptizarentur, non solum apud Africanos jam inde ab Episcopi Agrippini tempore obtinebat, sed etiam apud præstantissimas orientales Ecclesias Capadociæ, Ciciliæ, finitimarumque Provinciarum. Unde consuetudo & Africano Concilio sub Agrippino, & duabus aliis Synodis Iconii, & Synnadæ fulciebatur. Urgebat quidem Stephanus Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, quæ Apostolicam originem habebat. At non omnes Apostolicæ consuetudines, ut alias diximus, & exemplis appositis illustravimus, ad Jus Divinum, vel Dogma Fidei pertinent, sed interdum Disciplinam Ecclesiasticam concernunt, ut in diversitate cernere quisque potest, quæ intercedit in Ecclesia Latina, & Græca circa materiam Sacramentorum, & formam administrandi Baptismatis. Nam servatis substantialibus diversa servatur traditio circa accidentalia. Præterea licet consuetudo involvat aliquid Juris Divini, potest ita decursu temporis intermitti, & obvolvi difficultatibus, ut contrariis hinc, & inde virorum agitata sententiis opinionis limites non excedat, nisi clara Ecclesiæ definitione declaretur. Talis Cypriano visa est Stephani cogitandi ratio, quam etiam falsam judicabat, unde etiam ad disciplinam referebat. Et certe Firmilianus totum hoc negotium de modo recipiendi hæreticos ad disciplinam videtur retulisse, dum in litteris ad Cyprianum hanc confert controversiam cum altera toties agitata de die Paschatis. Eamdem rem disciplinæ tribuit S. Basilius, cum diversam in recipiendis in Ecclesia consuetudinem obtinere posse prodidit epis. can. 1., & 2. ad Anphyloqnium. *Si apud vos* (ait epis. 2. canon. 17.) *prohibita est rebaptizatio, sicut &*

apud Romanos, œconomiæ alicujus gratia, nostra tamen ratio obtineat.

Nec vero ab Ecclesia Gallicana peti potest subsidium hac in re contra infallibilitatem Pontificis in rebus Fidei definiendis. Nam facile est allegare Episcopos, & politiores Theologos illius nationis hanc Cypriani cum Stephano controversiam ad disciplinam referentes. Juvat autem aliquos adducere. Ita sentiunt Cardinalis de Bissi Episcopus Meldensis in Instruct. Past. contra Apell. p. 6., Languet Suessionensis Antistes Epist. 3. data 15. Martii ann. 1722. ad Episc. Bononiensem, illustrissimus de Salson Episcopus Ruchenensis in Docum. Pastor. super auctoritatem decis. Ecclesiæ. Omitto Ludovicum Thomassinum, Ludovicum Rapin, Antonium Pacum, Gasparem Juvenin, Natalem Alexandrum, Ignatium Amat de Graveson, Petitdidier, Revenonium, Tournellium, Isambert, Tillemontium, & alios innumeros cum tota schola Sorbonica simul, & Navarrica.

Superest, ut de S. Augustino aliquid dicamus, quatenus significare videtur, quæstionis hujus decisionem non Summo Pontifici, sed plenario Concilio adscribendam esse. *Ut diu,* inquit lib. 1. de Baptism. num. 4., *in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, saluberrime firmaretur.* Verum id non scriptum ab Augustino est, quod Summis Pontificibus deesse crederet definiendi auctoritatem, qua sola Pelagianam causam fidentissime clamat esse *finitam*, sed quod non ita in causa Baptismi, sicut in causa Pelagii, Sedes Apostolica definierat. Nam de facto causa Baptismi a plenario fuit definita Concilio, Pontifice approbationem præstante. Enim vero Augustinus ibi disputat contra Donatistas Ecclesiasticam auctoritatem contemnentes, quos ut magis percellat, non eis opponit Decretum unius Pontificis, sed de industria, & consultissime Decretum totius Concilii plenarii, per Pontificem scilicet confirmati. Quæ ratio apud Donatistas, si non essent omnino rationi rebelles, majorem habere deberet vim, & efficaciam, cum tot Patrum judicandi rationes ex omni natione congregato-

rum, manifestata ex longa discussione veritate, in unam sententiam conspirassent.

Similiter cum ait, iturum se in Cypriani sententiam, nisi ab Ecclesia toto Orbe diffusa, plenariique Concilii auctoritate teneretur oppositum, solum innuit modum, quo veritas ista definita de facto est, nempe per Concilium plenarium, nec vero negat aliter definiri potuisse. Nam si per Pontificem ex Cathedra loquentem definita causa esset, *finitam* fuisse pronuntiasset. Scio aliquos cum Joanne Opstraet super verbum illud *finitam* ineptissime cavillari, quibus unice respondendum est, S. Doctoris mentem esse sic claram, ut nec Quesnellus ipse, cujus maxime intererat verbum illud obscurare, illorum logicam imitari sit ausus. Ille quippe in Opere – *Justification du silence respectueux* – sic loquitur vi victus clarissimæ veritatis: *Negari non potest, quin in phrasi Augustini unum idemque præcise sit causam esse finitam, ac causam infallibili, & irrevocabili judicio definitam*. Dices ex Opstraet: nonne Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. plane supponit non esse infallibiles Pontificias definitiones, cum objicientibus Pelagianis absolutos a Pontifice Zosimo Pelagium, & Cœlestium, eorumque approbatam confessionem, respondet S. Doctor, quod, si verum esset illud, cedendum non esset Pontificiæ definitioni, sed resistendum potius Pontifici, & ejus Clero? Admittit igitur hypothesim Pontificiæ fallibilitatis. Respondeo, Augustinum dicere duo. Primum, & præcipuum est, non tam Pelagii, & Cœlestii doctrinam fuisse approbatam, quam voluntatem eorum paratam ad se judicio Ecclesiæ submittendos, prout profitebantur. Alterum est, quod si sic esset judicatum in Romana Ecclesia, *prævaricationis nota Romanis esset Clericis inurenda*. Per quæ verba satis clare indicat, judicium illud non esse tenendum ut judicium Pontificis definientis, sed ut prævaricationem inferiorum Clericorum. Quis enim credere non refugiat, per verba illa *Romanis Clericis* Pontificem definientem comprehendere, & non potius videat, sic Augustinum scribere, ut a verbis illis extrahat veram Pontificis definitionem? Præsertim cum eo loci S. Doctor supponat, jam fuisse damnatos ab

Digitized by Google

Innocentio Cœlestium, & Pelagium. Hæc enim Augustini sunt verba: *Sed si, quæso absit, ita tunc fuisset de Cœlestio, & Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum Dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda*. Sensus verborum est facilis, si a Romanis Clericis Pontificis Zosimi definitionem excludas; naturalis non est, sed difficillimus, si damnationi Innocentii Zosimi approbationem opponas.

CAPUT XI.

Argumentum desumptum ex lapsu Liberii.

Tertium argumentum contra Summorum Pontificum inerrantiam repeti solet ex variis Pontificum lapsibus in materia Fidei, in qua illos errasse manifestum esse videtur, nec citra contentionem negandum. Lapsus est Liberius subscribens plane formulæ Sirmiensi, quam *Arianam perfidiam* appellavit Hilarius, & Athanasii deserens defensionem, eum a sua communione separatum declaravit, in quam Arianorum principes recepit, seque cum iis pacem inire, & tenere professus est. Lapsus est item Honorius, de quo Leo II., qui post 6. Synodum Agathoni successit, scribens ad Imperatorem pro confessione laudatæ Synodi post anathematizatos Auctores novi Monothelitarum erroris, hæc addit de Honorio: *qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit*. Et sane Honorius in Epistolis ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham expressionem *duarum in Christo operationum*, seu *voluntatum* novitatis, vel novæ inventionis accusans, a Fidei prædicatione sustulit; ex quo sane error jam exortus increbuit, & dilatatus est. Alia plurima congeri possent ex aliis Pontificibus, ex quibus vix potest dubitari, quin aliqui saltem eorum in Fide defecerint, seu errores in Fide professi sint.

Non est animus nobis id in præsenti discutere, utrum

Pontifex in hæresim incidere possit. Etsi enim mihi probabilius multo sit cum Suario disp. 10. de Summ. Pont., Papam errare quidem posse in materia Fidei ex ignorantia, minime autem ex contumacia, atque adeo in hæresim, etiam ut privatam personam non posse incidere, sic exigente suavi Dei providentia, ut qui Pastor universalis omnium eligitur pro Fidei unitate conservanda, ab ea, Deo protegente, non discedat; hæc tamen quæstio nihil habet commune cum ea controversia, quam in præsenti versamus, utrum nimirum definiens ex Cathedra errorem docere possit. Nec vero illa distinctio inter Pontificem ut Pastorem universalem, seu Magistrum totius Ecclesiæ, & inter ipsum ut privatum Doctorem, privatamve personam commentitia est, vel a Theologis denuo excogitata ad Pontificum lapsus conciliandos cum eorum in definiendo infallibilitate.

Primum enim distinctio isthæc est per se se valde rationabilis, & intimo cujusque sensui perspecta, nec eam judico negari posse sine pervicacia. Quis enim non videat, aliud esse Pontificem simpliciter loqui, suam opinionem proponere, & de hac, alterave re in utramque partem disputare; quod fieri interdum solet cum formidine partis adversæ, & interdum cum certitudine quadam quasi morali ex conjecturis, signis, auctoritate, seu principiis disciplinarum derivata; & aliud longe diversum, illum ex vi Primatus sibi a Christo concessi proponere aliquid Ecclesiæ credendum Fide Divina ut Caput ejus visibile, cui Fideles omnes uniri debeant, & ut Magistrum totius Ecclesiæ unitatem in Fide docentem, & præscribentem?

Nec aliam rei evidentiam exposcere debent Galli inerrantiæ impugnatores, quam quæ terminis inest hujus explicationis a nemine non perceptis. Quod si aliud quærant, audiant tamen quo pacto usa est distinctione per se nota universa Gallorum natio ante annos 400. in scripto Clementi V. oblato contra Bonifacium: *Non quæritur* (histor. de differen. pag. 399.) *de hæresi Papæ quondam ut Papæ, sed ut privatæ personæ, nec ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa ut Papa potuit esse hæreticus; & ideo cum de ejus mor-*

tui hæresi quæritur, non habet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater Sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui Claves Regni Cœlorum habetis; nec congregatum generale Concilium sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere. Ita loquebatur universa Gallia sæculo XIV., cum oborta non erat nova scilicet aurora veritatis.

His igitur præmissis jam ad lapsus veniamus prætensos Summorum Pontificum, & quatenus ipsi incommodo esse possint veræ sententiæ videamus. Et primo quidem, ad Liberium quod attinet, tria profecto constare deberent, & ab Adversariis certa probari contra infallibilitatis antiquissimam possessionem. Primum, certum esse Liberii lapsum. Alterum, esse lapsum in Fidei definitione. Tertium, nihil inesse lapsui, quod eum extrahere possit a dogmatica ex Cathedra definitione. Horum nihil ab Adversariis probari certo potest. Etsi enim lapsum fuisse Liberium probabiliter ex Athanasio, Hilario, Hieronymo, & Sozomeno colligi possit; at illud absolute negant, fidenter ut videtur, eruditissimi viri, collatis inter se antiquorum scriptis, quibus res certe redditur dubia; quo in casu minimum, ut dicitur, *sequendum est*, & ex possessione *absolvendus* Liberius *non probatus nocens*. Porro Marcellinus, & Faustinus in precibus ad Imperatorem manifeste indicant, esse falsam Defensionis Declarationum narrationem de Liberio post exilium redeunte, & a *maxima Cleri, & populi parte rejecto*. Sic enim ad Imperatorem scribunt: *Cui* (Liberio) *cum gaudio Populus Romanus exivit*. Et vel Hieronymus ipse de illo ait in Chronico: *Romam quasi victor intravit*.

Festivus hic, & triumphalis Liberii in Urbem ingressus, quo a Clero, & Romano Populo tanto cum gaudio exceptus est, gravissimum est indicium, ea esse commentitia, quæ de ejus lapsu narrantur. Quis enim facile in animum inducat, Romanos Nicænæ Fidei, ejusque impigro defensori Athanasio maxime addictos, & ab Ariana hæresi summopere aversos Liberium illum, qui pro Fide Nicæna, & Athanasii innocentia strenue pugnaverat, tunc eumdem quasi triumphantem excepturos, cum relicta constantia

Digitized by Google

formulæ subscripserat Sirmiensi, & suæ oblitus dignitatis ab Athanasii defensione, ac communione transierat ad communionem Valentis, Ursacii, Epitecti, & Auxentii, quorum nomina erant occidentalibus, supra quod dici potest, detestabilia? Nec refert quod ex Hilario contra Liberium produci solet in fragmentis; nam quam habeant auctoritatem Hilarii fragmenta, & quot in illis contineantur tum dubia, tum supposititia, jam alii ante me majori ornati sapientia, critica, & eruditione monstrarunt. Legatur ingeniosus, prudens, & eruditus vir Hispanus Michael de Maceda in suo egregio opere de Magni Ossii innocentia vindicata, ubi quid nobis sit dandum Hilarii, ut nunc extant, fragmentis, prudenter definit. Quod sane non est cur ægre ferant Galli, cum Senonensis Antistes D. Languet Epistola 3. ad Bononiensem Episcopum sic scribat: *Verum eruditi asserunt non genuinum esse Hilarii fœtum istud anathema, sed supposititium Librarii cujusdam additamentum*. Nec difficile est credere, si tamen Hilarii sunt opposita verba, litteras ab Arianis, aut semi-Arianis scriptas, & per totum ferme terrarum Orbem pro magna eorum præpotentia dispersas fidem aliquam obtinuisse apud Hilarium, & Athanasium longe constitutos, ab Arianis mire vexatos, nec in omnibus dolosas illorum artes suspicantes.

Quodque rem confirmare videtur, illud est mihi momenti non levis, quod cæteri ejusdem ævi Scriptores non videntur fidem adhibuisse lapsui Liberii. Sane Theodoretus, qui operibus Athanasii non parum usus est in sua Arianorum Historia lib. 5. cap. 15., & 17., non refert causam restitutionis Liberii in ejus lapsum vulgarem, sed in Romanarum Matronarum officia; & eo non contentus Liberium vocat tum *celeberrimum*, tum *gloriosum veritatis athletam*. Cumque reditum describit in Urbem, *post has*, inquit, *Christianæ plebis acclamationes reversus est admirandus ille Liberius*. Sulpicius Severus, qui ex Hilarii fragmentis multum decerpsit, ne verbum quidem innuit de lapsu Liberii. Et hunc saltem non fuisse certum ineunte sæculo 5., explorata res est ex iis, quæ legimus in Ruffino lib. 2. Histor.

Digitized by Google

Ecclesiast. Capit. 27.: *Liberius*, inquit, *Urbis Romanæ Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed utrum quod acquieverit voluntati suæ ad subscribendum, an ad Populi Romani gratiam, compertum non habeo*. Igitur nisi certiora, & ignota Ruffino argumenta proferant Adversarii, bona illorum venia Liberii lapsum negamus, cujus veritati parum omnino fidunt Galli. Nam Episcopus Ruthenensis in suo Documento Pastorali dato 1728. *Liberii*, ait, *lapsus haud levem patitur difficultatem*, adjungens quod ann. 1728. *edita esset dissertatio*, *cujus auctor* (Dominus Corgni Suessionensis Canonicus) *ostendere contendit*, *nunquam lapsum esse Liberium*. Legatur ante omnes Cardinalis Ursius in Histor. Eccl. lib. 4. a num. 72.

Demus tamen certum esse, ac exploratum prætensum Liberii lapsum. Quid tamen inde incommodi contra sententiam nostram? Omnino nihil. Nam primum caput de Athanasii desertione, & de Principum Arianorum in Liberii communionem admissione, res est facti quidem scandalosa, milleque vituperanda nominibus; at non est erronea Fidei definitio. Est sane inconstantiæ vitium, quod etiam esse potest sine errore in Fidei assensu, nedum sine definitione erroris, præsertim cum multa crimina ab Arianis falso tribuerentur Athanasio, quæ quidem ad Fidem non pertinebant. Alterum caput de subscriptione, quam dedisse dicitur Sirmiensi formulæ, parum sane officit, cum in eam satis communiter eruditi sententiam eant, ut prima fuerit Sirmii formula contra Plotinum edita, quam in libro de Symbolo Hilarius ipse uti *catholicam* excusat. Nec ignoro, illud etiam Liberio vitio tribui subscripsisse illum ei formulæ, qua Christus consubstantialis, seu ejusdem cum Patre naturæ tacetur. Id autem si verum esset, peccatum esset scandali, & omissionis crimen, tacendo nimirum quod profitendum erat, non autem erronea Dogmatis definitio.

Ut autem de tertio aliquid dicamus, quod nimirum Liberii factum, quodcumque sit, & subscriptiones quasque extrahat a vera Fidei, seu Dogmatis definitione, nemo negarit, omnia hæc acta esse a Liberio ex vi, ac metu externo, atque notorio. Non videtur autem

Digitized by Google

esse vera in Fide definitio actus non liber, non voluntarius, sed per metum, & quidem gravissimum extortus. Juvat adducere judicium, & rationem, quam inde tulit de Liberio S. Athanasius in Histor. Arianorum ad Monachos, ut refertur a P. Constantino in præf. ad Epist. Rev. P. num. 35. *Porro Liberius* (scribit Athanasius) *extorris factus, post biennium denique fractus, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita.* Addi etiam potest ad revincendos aliquos Bossuetio nimis fidentes Adversarios Bossuetii ejusdem confessio, qui, hæreticis ei lapsum Liberii opponentibus, illum excusat ex capite violentiæ, quin ulla præjudicet ratione Christi promissis. Hæc illius sunt verba in 2. Instructione de promissionibus factis Ecclesiæ num. 105.: *Cum certum sit ipso facto eum non nisi manifestæ violentiæ cessisse, & mox ex semetipso ad officium rediisse ....* Et infra: *Scitur omnem actum, qui vi extorquetur, ex quolibet jure nullum esse.*

CAPUT XII.

Quid sentiendum de Honorio sit.

Honorii lapsus facilius explicatur, quin nostræ ulla omnino ratione sententiæ officiat. Rem sincere exponamus, nec integri judicis sententiam pertimescimus. Excitatis notissimis turbis inter Orientales Ecclesias de duabus in Christo voluntatibus, seu operationibus, irrepere cœpit error perniciosus, qui, ut sopiretur, ad Pontificem Honorium delatus est a tribus Patriarchis, ut in re minime obscura Fidei ederet definitionem, qua duæ in Christo voluntates declararentur, & Fidelibus credendæ proponerentur. Id autem Honorius nequaquam præstitit, non quod aliquod Catholico Dogmati contrarium

Digitized by Google

sentiret, ut jam demonstro, sed quod œconomiæ causa judicaret, suspendendam esse definitionem, spe ductus, ut ipsi videbatur, majoris boni, & quod timeret, jam se prodiens schisma futurum esse magis perniciosum. Hac ille deceptus spe definitionem omisit, & error ex omissione propagatus majores egit inter orientales radices. Hæc est sincera facti narratio, in qua vides, non hic fuisse in Fide definitionem erroneam, sed definitionis omissionem, quæ fortasse potuit esse culpabilis, præsertim si prævidit Honorius, errorem jam ingruentem sopiri posse per definitionem dogmaticam.

Quod autem Honorius recte de Fide sensisset, manifestum est vel ex ipsis, quæ urgeri solent, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham litteris. Ait enim Honorius in 2. ad Patriarcham epistola: *Quantum ad Dogma Ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo naturali unitate copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, sequentem* . . ., & post pauca rem ipsam satis jam expressam confirmat addens: *duas naturas, idest divinitatis, & carnis assumptæ in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, & incontrovertibiliter propria operari*. Quæ verba adeo sunt clara pro Fidei Dogmate de duplici Christi voluntate, & operatione, ut vel ipse Bossuetius verus, aut falsus lib. 7. (al. 12.) Defens. Declar. cap. 22. fateri compulsus sit, *ea Honorii verba orthodoxa esse maxime videri*. Nec tamen *negarim* in prima ad eumdem epistola Honorium commemorare *unam in Christo voluntatem*. At hujus verbi catholicus sensus est ita clarus ex contextu, ut nemo sine præjudicio legens male illud interpretari possit. Ponit ibi Honorius in Christo *unam voluntatem* ad excludendas duas humanas voluntates, quas nonnullos admittere Sergius in suis ad eum litteris significaverat. Excludit itaque a Christo voluntatem carnis spiritui, ac divinæ repugnantem, & in nos ex Adami vitio traductam. Quod magis explicat dicens: *non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnet legi mentis &c.* Cum vero,

Digitized by Google

inquit, Dominum Jesum Christum *unum Operatorem* divinæ, atque humanæ *naturæ,* plane refert unitatem ad Verbi personam, quæ una est in Christo. Quem modum loquendi non raro Patres imitantur, & hæc ipsa catholica dicendi ratio adhibetur in Synodica S. Sophronii, qua fuse rejicitur Monotheliticus error. Fixum ergo maneat, immotumque, Honorium de Fide duarum in Christo voluntatum recte sensisse.

Sed vero cum Sergius magnas Honorio, nullam tunc de Sergii dolis, & artibus suspicionem habenti, utilitates proponeret ex pace jam inita, & unitate Fidei conservata, si vocabula *duplicis voluntatis, vel duplicis operationis* reticerentur, Honorius satis esse provisum Dogmati existimans verbis illis, quæ supra retulimus, annuendum esse Sergio judicavit, & abstinendum a sola vocum quæstione de duplici Christi operatione, quæ scandalum parere videbatur. Nec vero ex hoc ab Honorio indicto silentio cœpit statim ille traduci apud prudentes tamquam erroris aut auctor, aut reus, cum eum Joann. IV., & Maximus Martyr luculentissimis apologiis vindicassent. Sed tunc contra Honorium declamari cœptum est, cum detectum est tandem, eum fuisse inani spe, & doloso Sergii mendacio deceptum; & ex ipsa rerum experientia, ac erroris propagatione contra duplicem Christi operationem agnitum, fieri debuisse definitionem Fidei, quam prætermisit Honorius. Unde idem Pontifex una cum Sergio, aliisque Monothelitis fuit, ut inquiunt, in Synodo condemnatus. Nec tamen ille damnatus est ob hæresim, sed quia œconomica improvida dispensatione, & nonnullis incautis locutionibus, quas in pravum suum sensum Monothelitæ trahebant, eorum errori favorem impendisse visus est. Et id est ipsum, quod significat Leo II. in objectis ad Imperatorem litteris. Quod declarat apertius in secunda Epistola ad Episcopos Hispaniæ, Honorii commemorans omissionem culpabilem his verbis: *qui flammam hæretici Dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Quo circa anathema, quod in professione Romanorum Pontificum

Digitized by Google

in diurnum insertum est, sic habet: *Qui pravis eorum erroribus favorem impendit.*

Fuit igitur error Honorii facti, seu subreptionis error, & male intellecta œconomica dispensatio, quæ ad disciplinam refertur; non autem error definitionis dogmaticæ, quæ ad Fidem ex Cathedra declaratam pertinere posse videatur. Ad summam in Fide, saltem ex vi Primatus definienda, non defecit, sed ut summum officio defuit commendato confirmandorum fratrum; quæ duo bene distinxit Ballerinius, quod scilicet se nascenti hæresi non opposuit, sed litteris Sergii nimium credulus silentium indixit, locutiones quasdam usurpans minus cautas.

Nec vero hac in re processisse Honorium ad definiendum, constare videtur ex Ep. 1. (Act. 12. Synod. 6.) ubi leguntur illa verba: *hortamur vos*, & ex 2. (Act. 13. Synod. 5.), ubi scribitur: *non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare*. Defuisse tamen videtur, ut ajebam, officio confirmandorum fratrum; quin tamen inde detrimentum patiatur promissio Christi Petro facta: *oravi pro te*. Nam Christi promissio semper est implenda, ut edicitur in Defensione Declarationis lib. 10. (al. 15.) cap. 35., quia Christi promissiones effectum habent infallibilem. At præceptum confirmandi fratres non est opus ut semper impleatur, cum nulla de illo facta sit a Christo promissio, quæ officium Pontificis universim respiciat. Nec exempla Pontificum sic errantium obesse possunt quidquam eorum in definiendo infallibilitati, dicente Christo Matth. 23.: *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, nolite facere.*

- Jam vero quæ dicta sunt a nobis ad excusandum Honorium, etiamsi in Synodo 6., & in Ep. Leonis ad Imperatorem damnari videatur tamquam hæreticus, & Sedem maculans Apostolicam, procedunt illa quidem ex suppositione, quod nec Synodus 6. vitiata fuerit a Græcis, nec corrupta Leonis Epistola. At vero utrumque probabilius esse videtur. Quin immo venerabilis Robertus Cardinalis Bellarminus in Conciliorum lectione, meditatione, & diligenti examine, si quisquam a-

Digitized by Google

lius, versatissimus absolute pronuntiat lib. 4. de Rom. Pont. cap. XI.: *Sine dubio Honorii nomen inter eos, qui damnantur a 6. Synodo, insertum esse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, & similiter quidquid aliud ibi dicitur contra Honorium*.

Rationes Bellarmini plures sunt, & efficaces. 1. quia id testatur Anasthasius Bibliothecarius in historia sua ex Theophane Isaurico Græco. 2. quia hæc erat consuetudo Græcorum fere ordinaria corrumpendi libros; unde in ipsa 6. Synodo deprehensæ sunt plurimæ corruptiones ab hæreticis factæ in V. Concilio. Porro Græci corruperunt Epistolam Leonis adhuc viventis ad Flavianum, ut testatur ipse Pontifex Ep. 43. ad Palestinos. Recte inquit Gregor. lib. 5. Ep. 14. ad Narsem, Constantinopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem, & idem se suspicari de Ephesina, & addit Codices Romanos longe esse veraciores, quam Græcos. *Quoniam*, ait, *Romani sicut non acumina, ita nec imposturas habent*. Denique Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem remittens Imperatorem ad Epistolam Adriani I. *Si tamen*, inquit, *non falsata more Græcorum, sed sicut a Sede Apostolica missa est &c.* Et vere omnino id scripsit Nicolaus; nam in VII. Synodo refertur Adriani Epistola, non ut fuit a Sede Apostolica missa. Præterea si Græci 4., 5., 7. Synodum corruperunt, quid mirum si 6. etiam corruperint, præsertim cum paulo post illam conclusam Constantinopolim ascenderint Episcoporum multi, & Canones Trullanos ediderint ad Ecclesiam Romanam, ut videtur, reprehendendam?

Sed quod 6. Synodi corruptionem, ad Honorium quod attinet, ante oculos ponit, est Epistola 1. Agathonis ad Imperatorem, quæ lecta est in ipso Concilio Sess. 4., & ita probata est Act. 8., & action. 18., ut Patres dixerint non tam Agathonem, quam Divum Petrum per Agathonem locutum. Hæc autem Epistola pugnat omnino cum his, quæ de Honorio dicuntur; nam ex illa constat, Fidem in Sede Petri non defecisse, non posse deficere, decernere non posse Pontificem contra Fidem, omnes ejus (Agathonis) Prædecessores,

Digitized by Google

quorum unus erat Honorius, semper restitisse hæresibus, & postquam enumerat Agatho hæreticos Monothelitas Cyrrum, Sergium, Pirrum, Paulum, & Theodoretum, sic ait: *Eximenda proinde, ac summis conatibus liberanda est Sancta Dei Ecclesia de talium Doctorum erroribus, ut Evangelicam, atque Apostolicam Fidei rectitudinem, quæ ſundata est supra firmam petram hujus B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ, quæ ejus gratia, atque præsidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præsulum numerus, Cleri, ac Populorum nobiscum confiteatur, ac prædicet.*

Qua quæso fronte Agatho de ipsa Monothelitarum hæresi disserens sic aperte, clare, & constantissime affirmaret, nullum suorum Prædecessorum errasse, & cum Ecclesiæ cæteræ erroribus fuissent maculatæ, solam Romanam illibatam permansisse, si Honorius illam, ut dicitur, turpissime commaculasset cum Sergio errans, cæterisque, quos recenset, Monothelitis? Quis in animum inducat, Concilii Patres, apud quos non tam Agatho loquebatur, quam Petrus, anathema illud contra Honorium dictasse clarissimam posteris contradictionem in Concilio universali tradentes? Fuit igitur 6. Synodus a Græcis de more vitiata, & hanc eamdem ita vitiatam secuti esse videntur PP. Synodi VII., & VIII.

Dices cum Cano, Agathonem anathema dixisse Honorio: Sed unde id probat? Quia in ejus litteris numquam id anathema invenitur. Deceptus est Canus, ut hic notat Bellarm., ex Summa Conciliorum, cujus auctor contra fidem ipsarum Epistolarum, quæ habentur integræ in Conciliorum tom. 2., inseruit nomen Honorii. Aliam item æquivocationem passus est laudatus Melchior inquiens, Agathonis Epistolam ad 6. Synodum scriptam fuisse, cum non ad Concilium, sed ad Imperatorem conscriptæ fuerint ambæ Agathonis Epistolæ.

Jam vero ut Honorii causæ finis imponatur, quæ dicta sunt a nobis de Synodo 6., dicimus etiam de Epistola Leonis, quæ pars est quædam Synodi laudatæ, & cum ipsa circumfertur; unde ab iisdem credimus esse corruptam, a quibus corruptum est Concilium. Nec item in quæstione facti teneremur sequi potius Leonem, si Epistolam illam

Digitized by Google

conscripsit, quam tot alios contrarium sentientes apud Bellarminum loco citato.

Joannes tamen Turrecremata tres istas Synodos errasse affirmat errore facti, idest ex falsa Honorii informatione, non in Dogmate Fidei definiendo, sed in credendo rumoribus falsis ex non bene intellectis Honorii Epistolis. Quæ solutio bona quidem est, si quis incorruptas esse contendat Synodos. Nam Honorii Epistolæ Catholicæ sunt, ut vidimus, & eas esse tales, Concilium Romanum frequentissimum sub Martino I. Papa, & Martyre declaravit.

CAPUT XIII.

De aliorum Pontificum erratis.

Expensis jam Liberii lapsu vero, vel falso, & Honorii certo, vel incerto crimine, quin hinc, aut inde detrimenti quidquam in nostram sententiam derivetur; quæ ab aliis Pontificibus repetuntur errata, facilius, & brevius præciduntur. Post Liberium, & Honorium obtrudi solet error Vigilii, qui in Constituto dato die 14. Martii ann. 553. tria Capitula defendit fortiter, quæ tamen postea damnavit. At primum egit ex prudentiæ regulis nihil omnino definiendo; nec hac in quæstione Fidei controversia agitabatur, cum certum sit ex Gregor. Magno lib. 2. Ep. 10. ad Sabinum in Capitulis illis *de quibusdam solummodo personis fuisse ventilatum, & nihil aliud quam de personis fuisse disceptatum*, uti etiam affirmavit Pelagius II.; unde *extra Fidem* fuisse quæstionem scripsit Pelagius I. ad Childebertum Regem Francorum. Credidit Vigilius, ex prudentiæ tamen regulis, esse tria Capitula defendenda ad avertendam injuriam, & scandalum, quæ in Concilium Chalcedonense derivari ex omissa defensione possent. Post vero cum post multam discussionem exploratum illi fuisset, perperam uti Nestorianos Capitulis memoratis, esseque periculum maximum, ne illorum error vehementius repullularet, illa damnavit, inflicto in eos anathemate, qui secus opinarentur. Quod anathema *in Constituto* pro capitum

defensione non tulerat. Aliud item errori tribuitur Vigilio, quod nimirum ad Theodoram scripserit Imperatricem dicens eis anathema, qui duas in Christo naturas confiterentur. Verum hoc admisso (nec enim negare opus est litteras, non tamen omnino certas) facilis est, & plana responsio, quia cum Vigilius scripsit epistolam, non erat tunc, vivente S. Silverio Papa, legitimus Pontifex. Neque id egisse videtur Vigilius animo hæretico, sed occulta, vel etiam aperta præsidendi cupidine. Id tamen illi dandum est legitimo jure, nullam in eo, electo jam Papa, erroris simulationem inventam fuisse, sed summam ad mortem usque constantiam.

Pro reliquis Pontificum, quæ nimis liberaliter coacervantur, erratis præ oculis habendum est, utrum error certus sit, ac exploratus. Sit ne facti, an Fidei. An eum tantum docuerit Pontifex ut Doctor particularis. An ita clarus, ut non possit æquam interpretationem admittere. Et quamvis inveniretur error in Fide nullam admittens congruam interpretationem, reliquum esset illud, an ex documenti verbis pateat hujus generis errorem proponi, & decerni ut Fide credendum. Ex primo capite nihil omnino referunt quæ Stephani II., vel si placet III., afferuntur responsa. Hæc enim esse dubia, vel supposititia, ostendit Arduinus dissert. de Baptismo, & Natalis Alexander ex Adversariis unus in Theolog. Dogmat. moral. lib. 1. reg. 2. Falsa sunt item quæ de Victore I., Zephyrino, Felice II., & de Leone quodam Felicis Successore narrantur. Nam Victori I. non nisi calumniose tribuitur, docuisse illum Christum esse purum hominem; quam sane calumniam refutat aperte Eusebius lib. 5. histor. c. 28. demonstrans illius hæresis principem nomine Theodorum a Victore ipso excommunicatum fuisse. Nec Zephyrinus hæresim Montani probavit, quidquid scribat Tertullianus contra Praxeam, cui certe ut Montanistæ non est hac in re fides adhibenda, sicut Artemon false jactabat hæreticorum more, secum sentire laudatum Victorem, suæ ut causæ patrocinium quæreret. Non tamen negarim, errasse forsan Zephyrinum, non contra Fidem, sed circa personas, existimantem, falso esse de erroribus accusatos Mon-

tanistas. Felix II., licet demus fuisse verum Pontificem, cum Arianis ante Pontificatum communicasse probabitur; at factus Pontifex non modo omnem omnino communicationem rescidit, verum etiam illos acerrime insectatus est, & ob Arianorum persecutionem martyrii palmam obtinuit, ut testatur Damasus, vel quisquis sit auctor *Pontificalis* in vita Felicis. Historia Leonis Felici succedentis, in qua ut Arianus traducitur, & Arium ipsum in morte imitatus, est plane fabulosa, cum auctor non sit alicujus nominis, qui successisse non dicat Damasum Liberio, & Felici. Nec minus est falsum quod scribit Laurentius Valla, Cœlestinum hæresi Nestoriana infectum fuisse, cum ipse Cœlestinus hæresim illam præcipue damnaverit, ut constat ex Prospero in Chronico ad ann. 431. Crediderim Vallam æquivocatione lapsum, & Cœlestinum Papam confudisse cum Cœlestino, vel Cœlestio hæretico Pelagiano. Gregorius II. (seu I., aut III.) scripsit ad Bonifacium, (& quidem, si placet, definivit ex Cathedra, quod totis nervis probare contendit Opstraetus) permittens, posse virum ad secundas nuptias transire, quia mulier infirmitate correpta ei debitum reddere non poterat. At non loquitur de impotentia consequenti conjugium, sed illud antecedente, & quæ jam erat perpetua. Addit tamen Pontifex consilium, ut eam, quæ videbatur esse uxor, adhuc vir ipse sustentet, si ejus indigeat providentia, cum nulla ipsius acciderit culpa, ut uxor esse non possit.

Ad errorem facti, non Fidei, pertinet error Zosimi a Cœlestio per subreptionem decepti. Similiter circa acta Formosi tum irritata, tum approbata a variis Pontificibus unice deduci potest error in facto; nam in eo tandem sita erat dissensio, & discrepantia, utrum fuisset de facto Formosus verus Pontifex. Nec enim Sergius, & Stephanus definierunt, ordinatos ab Episcopo degradato esse iterum ordinandos, sed ex odio in Formosum, non ex hæresi, nec ex ignorantia jusserunt iterum ordinari, vim omnibus, & extorsionem apertam reclamantibus, ut auctor est Sigibertus in Chronico ad ann. 903.

Nicolaus I. docuisse videtur, Baptismum in nomine Christi collatum sine trium Personarum expressione fuisse vali-

Digitized by Google

dum. Verum id docuit ut Doctor particularis secutus Ambrosium lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3., ut ipse dicit; quod etiam tenuit Venerabilis Beda. Nec verum est, fuisse jam antea oppositum definitum in Concilio Anglicano, a Zacharia, qui Nicolaum præcessit, confirmato. Primum enim simile Concilium negari sine piaculo potest. Quod est enim, vel quale ejus generis Concilium, cujus Beda in historia gentis suæ peritissimus mentionem non faciat, cum alia referat Anglicorum Concilia? Deinde non est idem, Pontificem Concilium ad aliquod propositum commendare, atque illud serio, & ex Cathedra confirmare. Tandem nego cum Sententiarum Magistro in 4. distinct. 3. cum prætenso ejus Concilii Decreto pugnare Ambrosii, Bedæ, & Nicolai sententiam; nec enim in eo definitum est, an tres Personæ implicite, an explicite nominari debeant..

Nicolaus IV., & Joann. XXII. non videbantur inter se convenire circa paupertatem Franciscanorum, sed ab eorum nemine definitum est quidquam contra Fidem. Tres igitur agitatæ sunt quæstiones. Prima, an in rebus usu consumptilibus usus a dominio separari possit. Altera, an paupertas, quæ omne dominium a se removet, solo usu relicto, sit sancta, & meritoria. Tertia, an Christus talem paupertatem docuerit verbo, & exemplo. Errasse videtur Joannes in prima, credens usum in hisce rebus a dominio separari non posse, sed minime contra Fidem, ad quam non pertinere dicit ipse Joannes in extravaganti *Quia quorumdam*. Verum autem tenuit Nicolaus, quod etiam docuit postea Clemens V., quia esse dominum non est præcise rem destruere quocumque modo, sed posse rem libere destruere quando, ubi, & quomodo quis voluerit. In secunda quæstione sentit Nicolaus, paupertatem illam esse sanctam, & meritoriam; negat autem Joannes, non autem id directe impugnans. Et quamquam melius Nicolaus, hoc tamen non definivit tamquam Fide credendum. In tertia quæstione, quæ omnium erat gravissima, & ad Fidem pertinens, non dissentiunt præfati Pontifices. Nam Nicolaus dicit, Christum aliquando perfectissimam paupertatem verbo, & exemplo docuisse; aliquando autem pau-

Digitized by Google

pertatem minus rigidam exemplo demonstrasse tamquam communem omnium Patrem, & Doctorem. Joannes etiam definit esse hæreticum asserere, Christum hic in terris nihil unquam habuisse proprii nec in speciali, nec in communi. Quæ duo, ut vides, nihil pugnant.

Nec omittendum (quoniam hic occurrit castiganda incohærentia Bossuetii, vel Auctoris Defens. Declar.) quod lib. 9. (al. 14.) cap. 41. contra nos obtruditur magno eum nisu Nicolai IV. decretalis *Exiit* tanquam firmum argumentum contra Pontificiam infallibilitatem, eum in prævia scriptum fuerit dissertatione §. 46., quod vim omnem elevat argumenti: *Cæterum* (edicitur) *neque solicite quærimus, qua de re præcise ageretur, & an revera Nicolaus pro Cathedræ auctoritate ista decreverit, nec magis curamus hic, recte ne, an secus ipse, ac Joannes egerit, & an summa consentiant, verbis litigent*. Parco aliis, ne tædium lectori creem; nam ex iis, quæ ad Cathedræ definitionem necessaria esse diximus, non difficulter expediri possunt quæ de aliis Pontificibus exaggerantur; ut quod Gregor. XI. testamento reliquerit retractare se, si quidquam erroneum contra Fidem dixisset; quod Joan. XXII. omnia, quæ dixerit, & scripserit, judicio Ecclesiæ, & Successorum submiserit &c.; quasi nimirum Summus Pontifex nihil omnino dicere, opinari, aut scribere possit, nisi ex Cathedra.

CAPUT XIV.

De libertatibus Cleri Gallicani.

Repeti a nonnullis solet alterum argumentum ex libertatibus Cleri Gallicani. Nam peritiores, inquiunt, Gallici Regni Theologi, & Causidici ostendunt cohærere minime posse cum Gallicis libertatibus (quæ ruere nulla ratione possunt, quidquid in contrarium ab ulla in terris potestate decernatur) quod Romanus Pontifex supremam, & infallibilem in causis Fidei potiatur auctoritatem, vel quod solemnia ejus circa Fidem judicia in Generali Concilio recudi non possint, & reformari. Non ego peritorum in

suis libertatibus hominum, sed in rebus Fidei Novatorum argumentum dixerim, quod crassam in Galliæ rebus ignorantiam ostendit, & libertates exosas Regibus, ab Episcopis damnatas, & a Theologis continenter impugnatas videtur obstrudere. Ut igitur res bono in lumine collocetur, adumbrandæ sunt Gallicæ libertates, in quo tandem sitæ sint, exponendum, & an Pontificiæ officiant infallibilitati, an potius super ipsam fundatæ sint, diligenter inspiciendum.

Et primo quidem Joann. Pontas Pro-Pœnitentiarius Parisiensis in Dictionario cas. conscient. tom. 2. edit. Par. ann. 1715.: *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in eo tantum ait consistere, ut impediatur, ne Romani Pontifices aliquid aggrediantur in Regno contra tenorem antiquorum Canonum, nisi de consensu Regis, & Populi*. Hæc autem notio (sit illa satis accurata, nec ne) nihil continet contrarium infallibilitati Pontificis, cum rem contineat non ad Fidem, sed ad factum pertinentem. Tournellii continuator tractatu de Legibus cap. V. Sect. V. docet eas definiri: *Jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ Canones, & antiquas Regni consuetudines, quidquid de novo in contrarium decernatur*. Et ne quis forsan cavillare in pravum sensum verba velit, addit statim: *Falli eos, & turpiter errare, qui libertates Gallicanas reponunt vel in potestate faciendi quod libuerit, vel in summa a Romano Pontifice independentia, quasi Sedis Apostolicæ nomen nihil aliud sit, quam magni nominis umbra. Immo vero exigit jus antiquum, cui ob libertates nostras insistimus, ut Papam habeamus pro Pastore omnium primo, pro Ecclesiarum omnium Capite universali, qui nempe in omnes Ecclesias, singulosque ipsarum Pastores jurisdictionem habet secundum Evangelii, & traditionis leges exercendam*. Ludovicus Habertus Parisiensis Theologus tract. de Leg. c. 11. *ad Gallicas*, inquit, *libertates pertinere, quod Summus Pontifex non possit pro libito antiquos universalis Ecclesiæ Canones solvere juxta illud Zosimi Summi Pontificis: contra Statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis Apostolicæ potest auctoritas; & illud Martini I.: Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui Defensores, & Custo-*

Digitized by Google

des Canonum sumus. Nihil igitur eorum pro libito agere potest Summus Pontifex, immo nec consuetudines particularium Ecclesiarum, aut earum jura particularia potest sine causa immutare Supremus Petri Successor, sed illa potius servare debet, & asserere quæ cuique adquisita sunt jura, ut ajebat Gregorius Magnus lib. XI. Epistolarum part. 1. Ep. 39. ad Dom. Carthaginensem: *Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis jura servamus. Absit igitur hoc a me* (ait Ep. 37.), *ut statuta Majorum Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.* In eumdem sensum loquuntur Concilia Nicænum, Ephesinum, & Chalcedonense, Nicolaus I., Leo XI., Basilius, Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus, quorum loca dabit Soardi lib. 4. cap. 4. de suprema Romani Pontificis auctoritate &c.

Unde Ludovicus Thomassinus dissert. 18. in Synod. Rom. num. 110. de suæ gentis libertatibus ita nos instruit: *Libertas Gallicana quanta est non in Fidei, sed in disciplinæ campis liberioribus spatiatur.* Hæc Galliæ Theologus insignis, Gallicis sane, pro more gentis, addictissimus libertatibus, & tamen inerrantiam Pontificis egregie sustinens; qua in re cum eodem sentiunt innumeri Galliarum Theologi doctrina conspicui, inter quos scite observat scriptor inter Gallos nobilissimus D. de Langlet de Fresnois in præfat. sup. Gallic. libertat. pag. 30.: *quod certissima Romanorum Pontificum auctoritas, & certissima Gallicanarum libertatum incolumitas concordissime simul, & tutissime conveniunt.* Et certe tota gens Galliæ (de Catholicis loquor) agnoscit, & profitetur infallibilem esse, ac summam Œcumenicæ Synodi auctoritatem in rebus Fidei definiendis. Num ideo existimat, libertates suas ab generali Concilio abrogari, tolli, vel infringi posse?

At inquiet aliquis: nonne Auctores Galli bene multi sic nobis scriptas reliquere Gallicas libertates, ut vel iis omnino renuntiandum sit, vel suprema Pontificis auctoritas in causis Fidei definiendis sit penitus deneganda? Scripsisse aliquos hanc in rem, negare non possumus; eos autem nec multos fuisse, nec potiores, si cum cæteris ali-

ter sentientibus comparentur, fidenter asserimus. Scimus equidem, Petrum, & Franciscum Pithæum, Puteanum, Capellum, Natalem Brulartium, Tilletum, Fauchetium, Coquillæum, Hormanum, Leschasserium, & Milletotium de libertatibus Gallicis scribentes varia sui tantum propria immiscuisse placita, varios abusus, & propositiones, quæ male audiunt apud litteratos ejusdem nationis. Scimus ex eorum tractatibus, confectum esse unum in folio volumen Parisiis editum ann. 1639. sub hoc titulo - *traité des droits, & libertés de l' Eglise Gallicane* - opera, & studio D. Puteani. At non ignoramus, vix ejus generis Opus in lucem prodiisse, cum adversus illud insurrexerunt impigre Gallicani Præsules, qui tunc temporis anno scilicet 1639. cura Eminentissimi Cardinalis Richelæi Parisios convenerant. Ut enim refertur in 2. volumine Actorum Cleri Gallicani veteris editionis, inter cætera illorum Comitiorum monumenta habetur Epistola ad reliquos Ecclesiæ Episcopos Encyclica, in qua de præfato Opere hoc erat Episcoporum judicium: *In hac alma Regni Sede paucis ab hinc diebus, nullo palam Auctore, nulla publica edendi facultate typis mandata sunt duo Volumina vulgari idiomate, quorum uni titulus est: - Traité des droits, & libertés de l' Eglise Gallicane* 1639. -, *alteri vero: - preuve des libertés de l' Eglise Gallicane* 1639. -, *quæ haud dubio furtivo cursu non ad vestras modo Diœceses, sed ad cæteras etiam nationes destinantur grassatura. Non enim hæreseos, & schismatis, ac talium Operum promotor, & artifex Dæmon hujusmodi faces accendit, nisi ut spargat &c.* Tum paulo post hæc sequuntur: *Inter falsas, & hæreticas, quas detestamur Ecclesiæ Gallicanæ adscriptas servitutes, potius quam libertates, vera quædam, & religiosissimi nostri Regis jura, & Gallicanæ Ecclesiæ privilegia* (Auctor) *exposuit*. En quo vultu a Gallicanis Episcopis exceptum sit illud collectaneorum volumen; nec fortunatiorem accessum apud Christianissimum Regem habuit.

E prælo vix exierat, cum solemni Sanctioris Consilii Decreto commercio ipsi publico interdictum est, ut observatum voluit Petrus de Marca operis laudati lib. 1. cap. 1. Quod idem notavit Antonius Charlas, Tournellius, & alii

Digitized by Google

passim Scriptores Galli. Ex illo Opere ita proscripto profecerunt non parum Novatores, qui postremis hisce temporibus infaustum Pontificiæ auctoritati bellum indixerunt, ut labanti causæ, ac deploratæ succurrere ullo modo possent. Sic homines turbulenti novarum opinionum architecti, & Schismatum molitores sacra Ecclesiæ Gallicanæ jura cum divinis Sedis Apostolicæ privilegiis committunt, ut faces accendant discordiæ, &, quod nec inter somniandum Gersoni, ejusque sequacibus occurrit, Gallicas clamant libertates, quibus bonæ fidei homines parum cautos illaqueare non cessant, ut ex altissimis eorum clamoribus, hinc & inde libellis sparsis, enata mihi videatur apud exteras gentes gravis quædam in Galliæ libertates expostulatio.

Sed vero quam sint illi questus parum fundati, facillimum est demonstrare ex iisdem ipsis Galliarum Theologis, & quod majus est, ex Supremis Præsulibus, qui Ecclesiæ suæ privilegia, ut optime noscunt, atque conservant, sic etiam omnimodam eorum cum auctoritate Pontificis suprema concordiam probant, tenent, atque confirmant. Profecto Theologi Galliarum extitere primi, qui falsas illas Novaturiensium libertates victricibus armis debellarunt. Quo enim studio, & qua ubertate dicendi in hos infidos Gallicanæ libertatis interpretes non insurrexit Ludovicus Thomassinus dissertatione laudata? Qua profunda, & accurata Gallicæ libertatis notitia non illos exagitavit nulli secundus Antonius Charlas Canonicus Pamiensis in toto tractatu de libert. Gall.? Quid dicam de D. Languet tanti apud Gallos nominis, & tantæ inter cæteros eruditionis Auctore, qui in laudato Opere non *libertates*, quas incauti jactant, Ecclesiæ Gallicanæ, sed *servitutes* appellat, & eas Galliam universam detestatam esse demonstrat? Id unum Opus satis esset pro germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus intelligendis, & earum cum obedientia erga Petri Successorem concordia ante omnium oculos ponenda: cum in lucem editum sit iis omnibus munitum præsidiis, quibus illa sola apud Gallos muniri solent Opera, quæ Gallicanis moribus adversum nihil continent. Prodiit enim Parisiis ann. 1715. sub auspiciis excellentissimi viri D. Voisin ma-

Digitized by Google

gni Franciæ Cancellarii, Privilegio Regis decoratum, & Regii Censoris D. Capon celeberrimi Galliarum Jurisconsulti calculis approbatum.

Si Ecclesiæ Gallicanæ Præsules adeamus, acrius invexisse illos inveniemus contra pravam Gallicarum libertatum intelligentiam, & id usque adeo fecisse, ut earum fundamentum scripserint esse communionem cum Petri Successore, nec sine hac communione Gallicas esse posse libertates: *Peculiares*, inquit illustrissimus de Belsunce in Docum. pastor. de libert. Eccl. Gallic. pag. 60., *in iis, quæ Fidem, aut mores spectant, nos leges non habemus. Oriens, Occidens, Orbis universus in his duobus capitibus idem omnino sentire debet, quia Fides essentialiter una est, eademque sunt gentium ubique morum principia.* Et insinuans deinceps Gallicanas libertates adjungit: *In sola disciplina conspicitur illa varietas, quæ Christi Domini Sponsæ inter ornamenta reputatur. Orientalis Ecclesia ab omni ævo aliam, & aliam Ecclesia Occidentalis disciplinam habuerunt, & particulares utriusque Ecclesiæ inconcussum semper jus habuerunt, receptas leges retinendi, sicque suas libertates conservandi.* Et pag. 133. invehitur contra eos, qui debitam Successoribus Petri præstandam a Fidelibus omnibus obedientiam prætextu libertatum infirmant: *Quique Sacram Apostolicæ Sedis majestatem, in qua servatur Ecclesiæ unitas, & Fides prædicatur, imminuunt. Quin e contra ille, (qui Gallicas bene noverit libertates) reverentiam a nobis Ss. Patri exhiberi solitam, seu pretiosam spectabit Gallicanorum Præsulum hæreditatem. Hoc ipsum est solidum gloriæ nostræ caput, quod & Fidem nostram invictam, & auctoritatem infallibilem reddit. Nescit*, scribebat eruditissimus Enricus Spondanus Pamiensis Episcopus in Historia Ecclesiastica ad ann. 1639., *nescit Ecclesia Gallicana libertates, quæ male operantur. Nescit jura, quæ illam a Romanæ Matris firmissima connexione, & filiali obedientia divellunt.*

Eodem usi sunt tenore loquendi (ut Rosmensis Episcopi verbis dicam in veritate catholica circa Bullam *Unigenitus*) *plures Cardinales, Archiepiscopi. & Episcopi Galliæ* in memoriali suo diei 17. Martii 1717., in quo hæc

verba leguntur: *Sed inviolate Sedi Apostolicæ colligati iis vinculis, quæ Christus ipse nexuit absque ullo immunitatum nostrarum, usuumque dispendio.* Quin & protestati sunt se malle usibus Gallicanis, si nefarium fuerit, aliquando derogare, quam judicium Sedis Apostolicæ dogmaticum non ea, qua par est, reverentia recipere. Observavit olim Card. Noailles in Conventu Parisiensi 13. Martii ann. 1699., ut constat ex memorial. Cleri Gallic. tom. 1. pag. 429., amplum statui debere discrimen inter judicia Apostolica, quæ circa Fidem feruntur, & Pontificias Sanctiones, quæ meram spectant disciplinam. In *iis* ait habendam esse rationem consuetudinum, & libertatum Gallicarum, & de *illis*, etiamsi debita careant formalitate, ita pronuntiat: *Quoad substantiam non possunt Episcopi, quin dogmaticum Sedis Apostolicæ judicium cum veneratione, & obedientia suscipiant . . . . . quoad formam vero defectus formalitatum impedire non debent, quominus Breve Pontificium recipiatur.* Nam, ut optime scribebat Senon. Archiepis. Card. Biss. Mandat. Past. 7. Septem. ann. 1718. p. 5., *nostræ libertates, si modo recte intelligantur, cum divinis Cathedræ S. Petri prærogativis optime conveniunt.*

Laudunensis Antistes D. De la Fare sic acerbe conqueritur de quibusdam parum consultis suæ gentis hominibus, a quibus ut reus læsæ Gallicæ libertatis traducebatur, propterea quod in Sede Apostolica errorem prævalere non posse asseruerat: *Præconiis*, inquit in Pastor. Mand., *quæ de Bossuetio celebrantur, nos quidem libentissime subscribimus. At vero cum nonnisi ejus exemplum secuti de Romanæ Ecclesiæ auctoritate verba fecerimus, cum & ipse Bossuetius Hormisdæ formularium, & S. Bernardi testimonium allegaverit, ut probaret, veritatem in Petri Cathedra non esse defecturam, quæstionesque Fidem spectantes potissimum ab hac Sede definiendas esse, in qua error prævalere non potest, quare nomen nostrum defertur, dum interim Bossuetio permittitur sua omni gloria pacifice frui? Num eædem elocutiones erunt in nobis nostris adversæ libertatibus, in ipso autem sapientioris, ac purioris pro iisdem libertatibus studii argumentum?*

Eadem exagitat dicendi methodo Archipræsul Camera-

Digitized by Google

censis D. de S. Alby Gallicanas libertates quatenus contrarias indefectibilitati in Successoribus Petri: *Octoginta quinque*, inquit in Mand. Past. damnante tria scripta edita ann. 1739., *Galliarum Antistites, in sua ad Innocentium X. Epistola declarante Petri Fidem nunquam deficientem, id merito postulare, ut juxta solemnem, & perpetuum Ecclesiæ morem majores causæ ad Sedem Apostolicam referantur. En locus, qui decem Causidicis stomachum movit, quique ipsis dicendi causa fuit hac Galliarum Antistitum Epistola impugnatum fuisse, vel saltem mirum in modum obscuratum fundamentale Ecclesiæ Gallicanæ principium*. Quid huic pseudo-politicorum argumento respondet Cameracensis? Aliud nihil, quam quod ipse Bossuetius jam alias sibi objecta libertate Gallicana responderat, *ejusmodi*, scilicet, *locutiones nobis immerito opponi, qui confitemur Fidem Petri in Sede Apostolica minime defecturam, atque ejus rei gratia Fidei causas ad eam esse referendas*.

Permolestus essem lectori, si quæ ad manum habeo Antistitum testimonia, proferre vellem. Unum, aut alterum addere juvat, cujus ad instar existunt cætera, ex Em. Card. de Mailly Remensium Archiepiscopo depromptum: *Parisiensis Universitas*, inquit in Documento Pastor. 4. Jan. 1717. p. 22., *Regni doctrinam, ac libertates defendere debet. Nunquid vero Galliæ doctrina ab universalis Ecclesiæ doctrina discrepat? Si nomine Regni doctrinæ eas intelligunt (Parisienses aliqui Theologi, quos impugnat) opiniones, quæ potissimum in Gallia propugnantur, nonne unus e Doctoribus sæculi proxime elapsi Præsulibus* (Bossuetius), *qui majori studio Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam, & libertates propugnavit, nonne idem professus est, Romanam Fidem ipsam fore semper Ecclesiæ Fidem, Petrum in suis Successoribus manere Ecclesiæ fundamentum, antiqua Galliarum Concilia ostendere, quod in rebus ad Fidem pertinentibus Sanctissimi Prædecessores nostri Romanam Ecclesiam semper inspicerent, ipsiusque traditionibus ducerentur?*

Eamdem professus est doctrinam, & validissime confirmavit Cl. de Marca in prolegom. de concordia Sacerdotii, & Imperii: *Primum* (inquit de Sacerdotio) *exequitur liber primus, quo necessitas communionis cum Apostolica*

Digitized by Google

Sede asseritur. Et rursus in synopsi c. 2. lib. 1.: *Primum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum suprema Sedis Apostolicæ auctoritas, ejusque communio. Necessitas communionis breviter attingitur &c. Hanc communionem ut necessariam Galli retinuerunt ex Irenæo, & Avito*. Nec omittendum est a nobis, quod Massiliensium Episcopus, a quo incepimus, inter Gallicanas libertates, & cæteras discrimen constituat in eo, *quod Galliarum Ecclesia præ cæteris omnibus Ecclesiis constantius semper, & strictius Cathedræ S. Petri conjuncta fuerit*. Quod assertum compluribus præstantiorum Galliæ Præsulum, celebriorum Cleri Gallicani Comitiorum, & magni ipsius Bossuetii testimoniis confirmat eruditus Antistes.

CAPUT XV.

Explicantur aliqua levioris momenti.

Dices 1. Numquid Episcopi Judices Fidei non sunt? Hoc autem judicium conciliari minime potest cum infallibilitate Pontificis in causis Fidei definiendis. Nam Summus Pontifex tenebitur in ferenda sententia majorem Judicum partem sequi, eorumque approbare doctrinam, ut in omni recto, & bene instituto Tribunali is, qui præsidet, plurium debet confirmare judicium. Respondeo, Patres Concilii, seu Episcopos non esse tantum consiliarios, ut recte probant Canus, Bellarm., & alii, verum etiam Judices, unde & in Concilio subscribunt *definientes*, ut patet ex Nicæna Synodo, ex Chalcedonensi, ex 6. Synodo, & aliis. Sed vero constanter negandum cum Magistro Cano, cæterisque Theologis, teneri Summum Pontificem, cum de Fide agitur, plurimorum sequi judicium, ut in humanis vel electionibus, vel judiciis ex suffragiorum numero metiri oportet sententiam. Munus est Apostolici Antistitis sive paucos, sive plures in causa Fidei judices fallibiles, & ad errorem forsan flexos ad veram eos Fidem revocare: *confirma fratres tuos*. Ita Damasus magna cum libertate contempsit numerum copiosum *Concilii Ariminensis*, & Leo, cum Anatolius Decretum Chalcedonensis Synodi de Eccle-

Digitized by Google

siæ Constantinopolitanæ Primatu 630. Patrum consensione præferret: *Quasi*, inquit Epist. 51. ad Anatolium, *refutari nequeat quod illicite voluerit multitudo &c.* Una est tantum in causa Fidei decernendi infallibilitas, non multiplex, eaque residet in Pontifice Summo, cui, utpote Petri Successori, promissa est in Ecclesiæ bonum, quæ idcirco infallibilis est. Qua de causa Conciliis dat pondus, auctoritatem, & infallibilitatem Pontificis auctoritas infallibilis. Nec in divino Fidei judicio certissimo, & immutabili ea valent, quæ in humanis judiciis mutabilibus, vel certe non certis certitudine Fidei evenire conspicimus. Addit Bellarm. l. 1. de Conciliis cap. 18., nunquam fortasse adhuc accidisse, ut Pontifex sequeretur minorem Episcoporum partem in Concilio, quando remotis dolo, & fraude sententias dixerunt; nec enim Ariminense, & Chalcedonense fraude caruerunt. Nam in primo decepti sunt Catholici verbi Græci obscuritate, ut testatur Ruffinus lib. 10. cap. 21. In Chalcedonensi fuisse fraudem, nemo dubitat, cum in actione 6. Vicarii Romani Pontificis conquerantur, se absentibus fraudulenter factum esse Decretum. Concludit tandem idem Cardinalis, posse Pontificem non præcise ut Præsidem Concilii, sed ut Principem Ecclesiæ summum Concilii judicium retractare. Quod etiam in temporalibus contingere solet, ubi sequente Præside majorem partem suffragiorum, tamen Rex tamquam superior potest judicium irritare. Hæc autem potestas, quæ penes Regem est in temporalibus, quanto erit magis penes Pontificem Supremum in spiritualibus Caput a Christo constitutum? Suarius disp. XI. de Fide sect. V. omnino cum Bellarmino consentit, dicens: *Probabilissimum censeo, non permissurum Deum, ut tale Concilium* (legitime congregatum) *procedendo erret, faciendo quod in se est, non tam propter ipsum, quam propter Pontificem* (unice assistentem per Legatos), *quia esset magna perplexitas, & magnum scandalum Ecclesiæ, si Pontifex, & Concilium inter se dissentirent.*

Et quoniam de judicio Episcoporum in causa Fidei dictum est, annectenda hic doctrina quædam, ex qua nonnulla, quæ opponi possunt, dubiola præcidantur ex Episcoporum auctoritate, & ex cæterorum a Petro Apostolo-

Digitized by Google

rum, quibus succeſsere, privilegio desumpta. Porro Episcopi succedere dicuntur Apostolis secundum quamdam accommodationem, & repræsentationem, eo scilicet modo, quo presbyteri succedere perhibentur 72. discipulis, quia nimirum eorum subeunt vices, officioque funguntur. Sic enim in Episcopis residet Pontificia, & Episcopalis dignitas, quæ fuit in Apostolis, & sunt præcipue columnæ, & Pastores Ecclesiæ, quibus commissum est illius regimen, quibus in muneribus Apostolis assimilantur. Vide S. Thom. in 4. distinct. 19. q. 1. art. 3. Sed iis non obstantibus potest Pontifex Episcoporum jurisdictionem restringere, vel ampliare; quod non potuisset Petrus facere in Apostolis, qui a Christo missi fuerunt in totum Orbem ad fundandam Ecclesiam. Aliter igitur succedunt Episcopi Apostolis, ac Petro succedit Episcopus Romanus. Hic enim illi ita succedit, ut post ratam electionem immediate a Christo accipiat omnem jurisdictionem, quam Petrus acceperat, ut illius vicem suppleat. Alii vero Episcopi sic succedunt Apostolis, ut non habeant immediate jurisdictionem ab eo, a quo illam habuerunt Apostoli. Nam cæteri præter Petrum non eam acceperunt ordinariam, & ad successores transferendam, sed quasi delegatam privilegio speciali (in quo etiam fuit infallibilitas) ob peculiarem necessitatem, quæ tunc dabatur, propagandi Fidem, Ecclesiamque fundandi per universum Mundum. Cujus rei signum est manifestum tum quod Episcopi Apostolis succedentes non habeant generalem prædicationem, quam habuerunt Apostoli, tum quod, si propria fuisset, & non accommodatitia talis successio, nulli debuissent Episcopi creari viventibus Apostolis, sicut vivente Petro creatus est nemo, qui ei in Pontificem succederet.

Dices 2.: Nonne Pontifices data occasione fassi sunt teneri se Canones observare, eisque omni se ratione conformare? Supponunt igitur se inferiores esse Concilio Canones edente. Respondeo, verum esse quidem illud primum; nam id sæpe Pontifices dixerunt, ut Julius Papa, S. Leo, Gregorius Magnus, Gelasius &c. At quam inde colligit illationem logicæ hujus auctor Launojus, eodem argumentandi filo colligere quisque potest contra Concilia ge-

neralia, quæ priores Canones observant, commendant, & venerantur. Idem argumentum fieri potest in quoque Pontifice prioris Decretum observante, & ab eo ne latum quidem unguem discedente. Profecto cum Summi Pontifices curare teneantur, ut in omnibus totius Orbis Ecclesiis Canones publicentur, ac observentur, ne a recto deflectant ordine, eosdem ipsi observare debent ea saltem ratione, & naturali jure, ut discrepantia non sit, si cæteris non conformentur. Immo ad eorum observantiam quoad ea, quæ sunt divini juris, æque tenentur ac cæteri omnes Ecclesiæ Fideles. Id tamen minime officit, quominus in Ecclesiæ Canonibus dispensare possint, cum id Ecclesiæ necessitas exigit, aut utilitas. Mirum certe mihi est, quod dum aliqui Gallicani Episcopi contendunt, Papam Conciliis generalibus inferiorem esse, atque ad Canonum observantiam teneri, ipsi tamen ad eum recurrant pro Canonum in Conciliis generalibus editorum dispensatione, modo pro translatione unius Episcopatus, modo pro Beneficiorum pluralitate, modo ut ea in Commendas possidere queant.

Dices 3.: Aliqui Ecclesiæ Patres, & præsertim Augustinus docuerunt, Ecclesiæ claves, idest potestatem jurisdictionis, Ecclesiæ immediate traditas esse, cujus Petrus figuram solummodo gerebat, quando eas ipsi promisit Christus. Hanc igitur jurisdictionem ab Ecclesia recipiunt Petri Successores, eaque proinde inferiores sunt. Primatum Petri neget oportet qui sic argumentatur. Nullus sane Patrum sic intelligit figuram illam, prout in ratiocinatione repræsentatur. Omnes cum Optato lib. 3. con. Parm. conveniunt, quod *bono unitatis B. Petrus . . . . . & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit*. Unde S. Leo Ep. 86. ad Episcoporum Prov. Vien. *Hujus*, inquit, *muneris Sacramentum ita Deus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in B. Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaverit, & ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in omne corpus manare*.

Cum igitur Augustinus ait, Petrum promissiones a Salvatore accipientem universam Ecclesiam repræsentasse, ejusdemque fuisse figuram, id aperte significat, communicatam

fuisse Petro potestatem, non in ejus persona, vitaque terminandam, sed ad universam Ecclesiam ad finem usque Mundi transituram. Quo ex loco adeo non labefactatur infallibilitas Pontificis, ut ex eo potius validissime confirmetur; cum ex interpretatione Augustini potestas a Salvatore collata sit Petro, & ad ejus Successores transire debeat. Et hoc est quod significat S. Doctor, inquiens: *Si hoc Petro tantum dictum est, hoc non facit Ecclesia; si autem in Ecclesia fit . . . . . Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit*. Hæc autem significatio, figura, & repræsentatio similis est illi, qua dicimus, Regem subditos, Patremfamilias domum, & Pastorem gregem repræsentare. Sic illi, ex quibus hæc sumitur objectio, frequenter inculcant, Concilium universale totam Ecclesiam repræsentare, sapientes, idiotas, fortes in Fide, debiles, uno verbo Fideles omnes. Non aliter inquit Augustinus Serm. 13. de verbis Domini: *In illo ergo uno Apostolo, idest Petro in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit, idest firmi, & infirmi, quia sine utroque non est Ecclesia*. Hæc est figura, & repræsentatio Ecclesiæ, quam Petro tribuit S. Augustinus, qui cum dixisset Enarrat. in Ps. 108.: *Non habent* (promissiones factæ Petro) *illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam* . . . . addit continenter *propter Primatum, quem habuit*. Quapropter juxta Augustinum nec Petrus, nec Successores jurisdictionem accipiunt ab Ecclesia, quam repræsentant, sed potius quia Petrus Primatum habuit, Ecclesiam ipse repræsentavit, ejusque personam in figura gestavit tamquam verissimum illius corporis Caput. Quod idem serm. 76. de verbis Domini majori cum vi explicat S. D. alludens ad rationem fundamenti, figuræ, & Primatus Petri propriam, & non alterius: *Idem ergo*, ait, *Petrus a petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens*. En tibi Ecclesiæ figuram, quam gestabat Petrus, quatenus ejus fundamentum erat, ejusque tenebat Primatum, ac Principatum.

Longus essem, si omnia proferre vellem Augustini loca,

Digitized by Google

ex quibus manifeste colligitur, promissiones a Christo factas Petro sic Apostoli personam immediate afficere, & sic ad ejus Successores transire, ut in bonum Ecclesiæ super petram Petri fundatæ, adeoque per illum figuratæ, significatæ, & repræsentatæ amplissima Petro potestas, & Successoribus concedatur. Sit ille pro omnibus, quem legimus serm. 22. de Sanctis, in quo sic disserit Beatissimus Doctor: *Petrus in ea cœlestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens per Evangelii veritatem Judæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad veritatem vocaret, interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator. Et ideo solus inter Apostolos meruit audire: amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, dignus certe qui ædificandis in domo Dei Populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum*. En tibi figura, & repræsentatio Ecclesiæ, de qua Augustinus, quia Petrus *lapis*, quia *fundamentum*, quia *sustentaculum*, quia *columna* Ecclesiæ universalis; quod verum esse non posset, nisi etiam Primatus, privilegium, & prærogativa ad ejus etiam Successores transiret. Quæ cum ita sint, quis tandem sana mente contendat ex Augustino colligere omnia illa privilegia, de quibus diximus esse immediate a Christo Ecclesiæ collata, & ab hoc ædificio super Petri lapidem fundato in S. Apostolum derivata esse?

Dices 4.: Si certum est semel, Pontifices in suis esse infallibiles definitionibus Fidei, superflua erunt, & inutilia generalia Concilia vel ad Fidem explicandam, vel ad damnandas hæreses; quæ omnia peragere facile posset solus Pontifex ex Cathedra loquens, & quid sit Fide tenendum, quid vitandum omnino definiens. Dignum profecto argumentum, quod Doctores aliquos Parisienses a tota retro antiquitate disjecerit! Si Concilium universale infallibile prorsus est in rebus Fidei definiendis, quid quæso causæ est, propter quam tot examina, discussiones, & disputationes præcedant? Subscribant Judices cæco impetu definientes sine prævio examine, & sine accurata discussione, & res, quæ protrahi in longum solet, finita est. Quid

ad hæc Parisienses dicere possunt Doctores, nisi quod temere definiendum est nihil, & quod non sine discussione profunda, & accuratissimo examine expendendæ traditiones sunt, Scripturæ verba consideranda, Ecclesiæ definitiones contemplandæ, ut divina Fides tuto, solide, & infallibiliter proponi debeat credenda? Id ipsum agere Pontifices solent, & debent pro temporis opportunitate, & pro magnitudine rei tractandæ. Hac igitur de causa Pontifices pro viribus ipsi curarunt congregare Concilia, ut res Fidei ante definitionem accurata consideratione expenderentur, cum noverint id esse medium opportunissimum ad assequendam veritatem, concurrentibus ex omni terrarum Orbe sapientibus viris, & Pastoribus Ecclesiæ, qui Scripturas intelligunt, Canones percurrunt, & traditiones tum particulares, tum universales non ignorant. Præterea hujusmodi Conventus eo tendunt, ut per viam, quæ auctoritatem minus redolet, hæreticos reducant, & splendidiore modo convincant. Et cum hæreticorum pervicacia ea esse soleat, ut Pontificiæ non se subdat definitioni, Conciliorum auctoritate, pro temporum ratione, coercenda fuit, ubi palam fieret omnibus, Episcopos omnes Catholicos non aliter sentire ac judicat Ecclesiæ Caput, & D. Petri Successor. Sciunt igitur Pontifices infallibiles esse se in rebus Fidei definiendis; sed non ignorant ab ipsis præmittendam gravissimam consultationem, & Conciliorum celebrationem esse opportunissimam pro veritate tenenda. Unde Gregor. VII., acerrimus infallibilitatis Pontificiæ assertor, & vindex, multa ipse Concilia coegit, in quibus præfuit, & super Fide definivit; & Apostoli dono præditi infallibilitatis nobis exemplum præviæ hujus discussionis reliquerunt. Poterat Petrus, poterat Jacobus, poterat quicumque alius rem, quæ in controversiam veniebat, definire, & tamen Concilium fecerunt definientes: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis*. Ad summam ait Suarius disp. V. de Fide sect. VIII.: *In Ecclesia non sunt duæ regulæ infallibilitatis vivæ (Pontificis, & Conciliorum), sed una tantum, quæ est Summus Pontifex, qui potest variis modis uti ad definiendum sua potestate, prout opportunitas tulerit, & Ecclesiæ fuerit expediens, & ideo unus illorum*

modorum est definire cum Concilio generali, quia interdum expedit ad majorem Ecclesiæ satisfactionem, utque magis constet de communi consensu ejus, & ad majorem confusionem hæreticorum, vel quorumcumque contradicentium, ut nobis declararunt Apostoli act. 15., *& ad Gal.* 2.

Dices 5.: Cyprianus (lib. de unitate Ecclesiæ) parem omnino inter Petrum, & cæteros Apostolos æqualitatem statuit; sic enim scribit aperte: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Quod etiam significat Hieronymus lib. 1. in Jovin. sine hæsitatione pronuntians: *omnes Apostolos claves Regni accepisse, & ex æquo super illos fortitudinem Ecclesiæ solidari.* Unde & Ambrosius: *Quod Petro*, inquit, *dicitur, cæteris Apostolis dicitur, tibi dabo claves.* Verum hæc nullius sunt ponderis, nullaque ex illis verisimilis ratio contra Petri Primatum afferri potest. Sint sane Apostoli pares in honore, & potestate; acceperint omnes claves Regni Cœlorum quoad munus præcisum Apostolatus annuntiandi gentibus Evangelium, formandi Ecclesias, administrandi Sacramenta, regendi Populos, Episcopos constituendi, & accipiendi peculiaria Spiritus Sancti Dona, quæ omnia ad perfectum Apostolatus exercitium, & Ecclesiæ Christi constitutionem necessaria erant. Sint igitur pares in rebus, prout ad officium pertinebant Apostolatus: at sit super uno Petro ædificata Ecclesia Christi, qui & Fidei unitatem conservet in Successoribus suis. Unde non sine causa addit Cyprianus loco citato: *Super unum illum ædificavit Christus Ecclesiam suam . . . . . ut unitatem manifestaret.* In idem recidit quod scribit Hieronymus: *tamen inter duodecim unus eligitur, ut, Capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Est ergo Petrus cæterorum Caput, cui auctoritas collata est amplissima jurisdictionis ordinariæ ad Successores derivandæ: *Merito primus*, inquit Chrysost. Hom. 3. act. Apostolorum de S. Petro, *omnium auctoritatem usurpat, ut qui omnes habeat in sua manu.* Et Leo M. Serm. 3. de sua assumpt. in Pontif.: *Ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chris-*

Digitized by Google

stus. Et idcirco dicebat S. Optatus lib. 2. contra Parmen. num. 3.: *Cathedra unica est . . . . Sedit prior Petrus*, *cui successit Linus* . . . Et Cyprianus epist. 73.: *Una est Ecclesia*, *& super unum*, *qui claves accepit*, *Domini voce fundata*. Et ut intelligamus quo tendat hæc unitas, & unde deveniat, scribit epist. 70.: *Una est Ecclesia a Christo omnino super Petrum origine unitatis*, *& ratione fundata*.

Jam vero quod SS. Patres constanter affirmant convenire Petro respectu Apostolorum, id ad Petri Successores transire, eisque omnino competere respectu cæterorum omnium Episcoporum, nemo est, qui dubitare ulla ratione possit. Nec enim Episcopis traditæ sunt claves Regni Cœlorum, sicut Romano Episcopo omnium Capiti, Magistro, & Pastori universali traditæ sunt. Audiatur Bernardus rem istam ante oculos ponens sic ad Eugenium loquens l. 2. Considerat. cap. 8.: *Quis es? Sacerdos Magnus*, *Summus Pontifex*. *Tu Princeps Episcoporum; tu hæres Apostolorum . . . . . Tu es*, *cui claves traditæ*, *cui oves creditæ sunt*. *Sunt quidem & alii Cœli Janitores*, *& gregum Pastores: sed tu tanto gloriosius*, *quanto & differentius præ illis hæreditasti*. *Habent illi assignatos greges*, *singuli singulos*, *tibi universi crediti sunt*, *uni omnes*. *Nec modo ovium*, *sed & Pastorum omnium tu unus es Pastor*. *Unde id probem*, *quæris? Ex verbo Domini; cui enim non dico Episcoporum*, *sed etiam Apostolorum sic absolute*, *& indiscrete commissæ sunt oves? Si me amas Petre*, *pasce oves meas*. Ita Bernardus, ex cujus verbis non modo Petri Primatus, & Successorum Petri super omnes Episcopos ex clavium peculiarissima traditione convincitur, sed etiam infallibilitas Pontificiæ definitionis in causa Fidei evidentissime comprobatur. Ut enim Hieronym. scribit ad Damasum epist. 57.: *communio cum Fide Successoris Petri successionem ex Petro sequatur necesse est*. *Cum Successore* (inquit S. Doctor) *Piscatoris*, *& discipulo Crucis loquor*. *Ego nullum nisi Christum sequens*, *Beatitudini tuæ*, *idest Cathedræ Petri communione consocior*.

Hæc ego jam feceram, quæ mihi satis esse videbantur, quam paraveram, Dissertationi complendæ, & animum avocaveram alio, quo præstandi muneris necessitas trahebat

Digitized by Google

mentem, cum ab amico excepi litteras, quibus enixe postulabat, nonnulla ut privatim dicerem circa Defensionem Declarationis toties in Dissertatione memoratam. Causatus sum librorum haud magnam supellectilem cum temporis brevitate conjunctam. Ne tamen postulationi non incongruæ omnino non obsecundem, ultimum Caput adnecto, quo ejus votis ex parte certe satisfaciam.

CAPUT XVI., ET ULTIMUM.

Quam sit hæreticis pergrata Defensio Declarationis Gallicanæ.

Defensionem Declarationis Gallicanæ opus esse non bonum, sed opportunissimum, ut hæretici præ multijuga, quam congerit Auctor, eruditione, contra veram, Sanctamque Catholicam Ecclesiam armentur, & incauti præ sagaci, & cavillosa facundia in turpissimos errores prolabantur, qui oculis eam limpidis, & corde sano perlegerit, concessurum esse facile credo. Fateor enimvero multa opus esse librorum supellectili, multo labore, studio, patientiaque ad clare, distincte, atque dilucide detegendos errores, falsitates, æquivocationes, ambiguitates, criminationes, & calumnias, quæ in illa continentur. Historiam percurrit Ecclesiasticam, Concilia congerit, gesta Pontificum agglomerat; & quidquid sibi (non certe re) ad speciem favere videtur, per fas, nefasve ita disponit, describit, adornat, causam ut suam quasi triumphantem imperitorum oculis repræsentet. Interdum vero, nec raro admodum, æquivocas immiscet propositiones, non se prodens aperte, sed occultum veluti bellum indicens. Id a me demonstrandum fore pro mea crederem tenuitate, si & librorum, quos rei tantæ necessarios existimo, adesset copia, & temporis angustiis non premerer, quod sane sic mihi exiguum est, angustum, & breve post munus dictandi, & docendi impositum, aliaque varia, quæ præstanda sunt officia, ut non parum fecisse crediderim in hac mea qualicumque Dissertatione succisivis temporibus describenda.

Digitized by Google

Sed me recreat præstantissimi Doctoris mihi in primis cari Josephi Vallartæ memoria, cujus colloquiis, eruditione, sapientia datum est frui, Bononiæ cum degerem. Hic enim sub nomine *Josephi Mariani Palma* (in opere *Defensio Cleri Gallicani ab imposturis adscriptæ Bossuetio Defensionis*) provinciam suscepit tædio plenam respondendi cunctis, & singulis, quæ in Defensione Lugani edita conglobantur, ordinem percurrens librorum, & singulorum expendens capitum ineptias, fabulas, æquivocationes, falsitates. Nec id tantum labore suo improbo consecutus est homo ingeniosus, & omnigena eruditione præditus, plane ut evinceret suspectam esse Defensionem de Hæresi Janseniana, sed Hæresim etiam respirare monstravit Lutheranam, Calvinianam, Rikerianam, quod cum felici ausu, & stylo haud inculto perfecisset, ita concludit in arena persistens: *Quod si quis exoriatur, qui velit eam* (Defensionem) *vindicare, expecto, ac tantum præmoneo, ut qua patientia ego Defensionem totam discussi, ita ille accusationes meas omnes singulatim confutet, dilucideque dissolvat. Nisi enim ita faciat, ego vici, quantumvis me & eruditionibus oneret, & maledictis proscindat.* Sic ille vir cum viveret scribebat, & cum nec eo mortuo exortus sit quisquam ad vindicandam Defensionem, jure merito post ejus etiam mortem victor existit.

Quia tamen non ita fuit commodum D. Vallartæ, utpote uni e Sociis communi procella dispersis, atque hinc, & inde terra jactatis, & alto, suum illud Opus Ferrariæ impressum ann. 1785. in has etiam partes divulgare, sicut facile est cæteris alia sorte gaudentibus libros etiam suspectos spargere, operæ pretium existimo, si quod agere ipse per me possum, brevissime perficiam colligens ex Defensione errores aliquos, falsitates, & æquivocationes, quæ pro articulo Declarationis quarto, quem impugnavimus, in Defensione continentur. En tibi errorum decades duas, & ex iis cæteros disce.

1. Enim Auctor Defensionis Cap. V. l. 7. inquit: *Ecclesiæ consensione niti Christianos oportere, ut ei vindicent Spiritus Sancti Magisterium.* Erit igitur Ecclesia tota Magistra Fidei etiam ut laicos, fœminasque complectitur,

quod est erroneum. Addit: *Ipsa Synodus* (Œcumenica) *eo valet, quod universam repræsentet Ecclesiam, & ideo congregatur, ut quæ in Ecclesia diffusa per se valet, ab Episcopis tamquam idoneis testibus clarius demonstretur*. Ergo Episcopi in Concilium coacti sunt solum testes, non Magistri, non Judices, non Definitores controversæ quæstionis. Subjungit: *Duplex est ratio agnoscendæ veritatis, prima ex consensione Ecclesiæ diffusæ, secunda ex consensione Ecclesiæ congregatæ, estque in toto Ecclesiæ corpore reposita vis infallibilis, & ineluctabilis*. Triplex inest error pauculis verbis. Primum enim, si Magisterium Fidei est in cœtu cunctorum Fidelium, erit Ecclesia Democratia. Alterum, quia indicatur in consensione Fidelium sitam esse vim infallibilem, seu certitudinem Fidei, quæ tota pendet immediate a veritate divina. Tandem, quia indicatur fore Ecclesiam infallibilem, etsi a Capite suo dissideret in judicio dogmatico. Est quidem infallibilis Ecclesia, sed non acephala, at suo conjuncta Capiti. An non Damasus ad Illyricos apud Theodoretum lib. 1. cap. 22. scribebat: *Nullum præjudicium per numerum Arimini congregatum fieri potuisse, quia Romanus Episcopus, cujus ante omnia expectanda est sententia, non præbuisset consensum?* At Ecclesia, inquis, si tota pro veritate quidpiam habeat, errare non potest. Ita quidem est: habenda est ut infallibilis *passive* non ex consensione quasi ex fonte, sed ex Christi providentia nunquam permissuri, ut contra dogmaticam Pontificis definitionem aliquid credat. Et id est, quod docet Lirinensis male hic a Defensore laudatus.

2. Ait Auctor Defensionis Cap. VI.: *Duobus Concilia maxime valere, veritatis elucidatione per collationem, & Spiritus Sancti judicio per communem sententiam*. Modus certe loquendi obscurus, & ambiguus, ut in cæteris. Dicam amplius, *male sonans*. Nam verba indicare videntur eo quod sententia sit communis, judicium esse Spiritus Sancti. Erit ne judicium infallibile a consensione ipsa?

3. Docet lib. VIII., Generalia Concilia Pontificis approbatione non indigere, contra quæ multa diximus. Et cap. 8. vocat Concilium I. Nicænum *omnium primum auctori-*

tate. Quid hoc sibi vult? Erunt ne cætera Œcumenica Concilia minoris auctoritatis? Id asseri sine errore non potest.

4. Lepidissimum est quod scribit Cap. IX.: *Confirmari Concilia consensu Sedis Apostolicæ cum totius Ecclesiæ approbatione. Ultimum, quo asseruntur esse Ecclesiæ universalis consensum cum Apostolicæ Sedis confirmatione conjunctum*. Gratias tibi rependent maximas Lutherani; gratias item Heterodoxi cæteri, cum hic legant esse reformabile per consensum universalis Ecclesiæ non modo Papæ judicium, sed judicium Concilii Œcumenici.

5. Inquit Cap. XI. *etiam a Synodis particularibus examinari, & firmari Decreta Papæ*. Error intollerabilis, quo Pontifice superiores stabiliuntur particulares Ecclesiæ.

6. *Quæ Petro datæ sunt claves*, dicitur cap. 12., *Apostolis esse communicatas*. Potest hæc propositio rite intellecta bonum habere sensum, sed ambigua est ad sensum Auctoris. Fixum illud sit, atque immotum, Petro per traditionem clavium datam esse potestatem Capitis cæterorum Apostolorum, & Episcoporum omnium.

7. Fatetur Cap. XIII. *quidquam Petrum præ cæteris Episcopis accepisse propter Primatum*. At illud obscurat subdens: *Cum esset Petrus omnium Princeps, accepisse principali jure commune depositum potestatis*. Quid isthuc est? Lucem odis, & tenebris delectaris. Nonne accepit Petrus potestatem Capitis? Si ergo hæc commune depositum est, multiplex erit Ecclesia. At, ut video, magis tibi est Democratica, vel Aristocratica; nam Cap. XVI. scribis: *Si Papa est Os, promere* (debet) *quid omnes sentiant*. En Democratiam. *Senatus*, *Princeps*, *Caput dicitur*. En Aristocratiam. Habemus igitur non Monarchiam, sed Polygarchiam.

8. Cap. XXX. sic argumentum instituit: *Ab usque Apostolis habita sunt Concilia pro Fide. Ergo solius Papæ judicio non habetur Fides*. Pudet ea persequi. Nam ego dicam: ab usque Apostolis plures sunt damnatæ hæreses a Papa sine Concilio. Ergo Papæ judicio habetur Fides. Simile est illud, quod addit: *Concilia sæpe inita sunt ad id definiendum, quod Papa definierat. Ergo a Conciliis*

Digitized by Google

robur accedit definitioni Pontificis. Nam dicet tardissimus quisque: sæpe Concilia definierunt quod ab aliis erat definitum Conciliis. Priora igitur Concilia non fuere infallibilia.

9. Multa item peccat lib. 9. *Papa*, inquit Cap. 1., *Tuba Ecclesiæ factus omnium Episcoporum sensum annuntiat*. Idem significat quod modo dicebamus. Quod vero addit, Quesnello, ejusque sequacibus pergratum erit: *Cum Papa ita ex communi traditione pronuntiat, ut in ejus sententia omnes recognoscant Fidei suæ sensum, tunc fit illa consensio, quæ judiciis firmum, & indeclinabile robur conciliet*.

10. Concinit quod ait Cap. 2.: *Hanc* (consensionem) *si omnes recognoscant, in Petri Decreto totius Ecclesiæ sententiam venerantur. Sin autem oriantur graves seditiones, & Fratres inter se, & maxime Episcopi collidantur, recurratur ad commune Concilium &c.* En iterum quod volunt Quesnelliani; en item quod Nestoriani voluissent. Nonne vides motus hosce, & seditiones, quas ponderas, Hæreticorum esse solere? Haberi quidem Concilia solent, cum pro rerum circumstantiis cogi possunt, sed ad majorem satisfactionem Fidelium, ut mentis obsequium Decreto Pontificis exhibeatur suavius, ut deviantes facilius ad Fidem revocentur, ut major Hæreticis accrescat confusio, ex qua fortasse reviviscant, & meliorem a pertinacia exuti mentem induant.

A libro autem X. quot invenies gravia, enormiaque, a Galliarum Episcopis nimium quantum abhorrentia! Juvat breviter indicare aliam errorum decadem.

1. Cap. 1. totus est in eo, ut probet *locutum esse Petrum in confessione: Tu es Christus &c. Ecclesiæ nomine*. In Cap. 2. dicitur *ex commisso munere Fidei executor .... In ministeriali Petra, Romano scilicet Pontifice, vim esse partialem*. Quam Luthero gratum, Lutheranisque! Nonne advertis recedere te ab ipsa, quam defendis, Declaratione? Quî enim Primatum defendas Petri? Quî Capitis dignitatem probabis ejus, quem purum Ecclesiæ ministrum statuis?

2. Cap. 3. *Christi verba - rogavi pro te - promittunt, ne*

Digitized by Google

deficiat Fides Ecclesiæ Romanæ singulari titulo a Petro repræsentatæ, eo quod ejus fuerit Episcopus. Recte quidem, si verba hæc sua intelligas cum Leone serm. 3. de Assump., cum Bernardo Ep. 190. ad Innocentium III., cum Salesio, ut alibi diximus: secus Scripturam plane violabis, ut hic plane nos monuit. Non deficiet Fides Romanæ Ecclesiæ, quia non deficiet in Successore Petri Ecclesiam Romanam docente. Nec illa verba *te*, *Fides tua* afficiunt alium, quam Ecclesiæ Caput, in quo *omnium*, ut ait S. Leo, *fortitudo munitur . . . . . & per quod firmitas cæteris confertur.*

3. *Sedes Petri*, inquit Cap. V., *non est Papa ipse.* Sed quid Hieron. ad Damasum? *Ego Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri &c.* Quid August. lib. 2. Pelagianorum, dum *Innocentium* vocat *Sedem damnantem?* Quid Petrus Damianus Opusc. 22. Cap. 1. ad Alexand. II.: *Vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia?* Quid Prosper contra Collatorem? Quid Clerus Gallicanus scribens ad Innocentium X.?

4. Cap. 6. vellicat eos, qui in Papa distinguunt, aiuntque esse obnoxium errori ut homo est, non autem ut Pontifex in Cathedra loquens. Sed non advertit acutus vellicator, Ecclesiam Romanam, quam infallibilem ponit, ex hominibus conflari, qui ut sunt homines, non possunt non esse erroribus obnoxii, non autem ut sunt Ecclesia Romana.

5. Cap. VIII. *Nullus*, inquit, *Papa se infallibilem &c. dixit.* Dixerit nemo expresse, & signate; dixere tamen omnes exercite, seu facto ipso, quoties definierunt aliquid credendum. Et vero sacrorum librorum Scriptores dixerunt se infallibiles esse in scribendo?

6. Cap. XIV. Ne Romanam quidem Ecclesiam firmam facit. Sed a quo erit corrigenda? An a Concilio generali? Sed vero id cogi non potest v. gr. per annos CC. In errore igitur perseverabit per id temporis. An ab Ecclesia diffusa? Si neges, nullum habemus correctorem. Si affirmes, iterum rogo, an a toto Fidelium cœtu? Hic erit igitur Magister Sedis Apostolicæ. Si ab Ecclesiis particularibus; erunt igitur Magistræ suæ Magistra.

Digitized by Google

7. Negat Cap. XIII. (quia nimirum concessio clara turpis esset pro Hæreticis declaratio) negat, *posse a Papa ad Concilium appellari, quod sit Tribunal a Papa sejunctum, quia Concilium continet Papam, & quidem tamquam Caput*. Audio quid dicis. Sed video, te protinus concedere appellationes, quibus Papalis sententiæ executio suspendatur; & cum tibi objicias, frivolas eas fore, quia nunquam fiet, ut Papa cogat Concilium, a quo judicetur, respondes *posse congregari ab Imperatore*. Quam igitur appellationem negas, eamdem adstruis, atque confirmas, & quidem ad Concilium a Papa sejunctum, & cujus ipse non sit Caput.

8. *Minime*, ait Cap. 24., *licuisse appellationes, quas licere negavit S. Gelasius;* & addit *in causis* nempe *ordinariis*. At Gelasius scripsit *nunquam, nusquam*. Præterea Hæretici semper nobis obtrudent, ut alias fere semper egerunt, causam esse extraordinariam. Nullum ne, inquis, remedium contra potestatem Papalem? *Nunquam, nusquam*, dixit Gelasius. Eccur? Quia fiet nunquam, ut desit Spiritus Sanctus Pontificem docentem Ecclesiam specialiter dirigens. Præterea dicat nobis acutus Defensor: nullum ne remedium contra Potestatem Conciliarem? Dicet forsan suis ipse principiis stans, inesse remedium in consensione Fidelium. Erit ergo reformabile a consensu Fidelium Œcumenici Concilii commune judicium. Id autem quomodo fiet? Nam quot capita, tot sententiæ. Adeo verum est, eo tendere negationem infallibilitatis Pontificiæ, ut nullum relinquatur in Ecclesia Tribunal Fidei.

9. Primus dicitur fuisse Petrus de Luna in cap. 26., qui appellationes a Papa ad Concilium condemnavit. An non dixeras Cap. 24. illas condemnasse Gelasium? Siccine pugnantia nectis?

10. Capite tandem 27. dicitur, Martinum V. non dedisse Bullam negantem appellationes. At tuus ille Gerson majorum tuorum Coriphæus in tract. *quomodo, & an liceat a Pontifice appellare*, testatur Martinum in Consistorio habito Constantiæ decrevisse: *Nulli fas esse a Summo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice J. C. Vicario, in terris appellare* . . . . ac non licuisse Polonis ap-

Digitized by Google

pellare declaravit. Ubi, & obiter notatum velim a Defensore, an Martinus in præfatis verbis *Sedem* distinguat *Apostolicam a Romano Pontifice J. C. in terris Vicario*. Hæc sunt, quæ pro mea tenuitate conscribere potui; aliis sane distentus curis, quibus expediendis vix non totus incumbo: parva illa quidem, si cum cæteris ejus generis lucubrationibus magnis conferantur; sed tamen talia, ut ostendere mihi videantur, & subjicere oculis veram minimum, certam, & indubitatam sententiam de Romani Pontificis ex Cathedra res Fidei definientis infallibilitate. Faxit Deus O. M., ut quam Dissertationem non sine labore perfeci, in decus ea cedat, ornamentum, & gloriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus irrefragabili judicio sententias omnes, clausulas, verbaque singula plane subjicio.

FINIS.

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ

EX TRACTATU

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

PARS I.
DE FIDE.

I.

Fides Divina in omni proprietate sumpta non modo includit perfectionem intellectus, sed etiam voluntatis.

II.

Fides infusa in Scriptura non est fiducia ipsa, nisi forsan eo sensu, quo nomen causæ transfertur ad significandum effectum.

III.

Deus est subjectum præcipuum, ac primarium Fidei Christianæ, idque secundum rationem *Naturæ Divinæ*, seu *veræ Deitatis*.

IV.

Non est tamen subjectum, seu objectum materiale adæquatum, cujus notio extenditur ad ens quodcumque revelabile per revelationem obscuram Fidei accommodatam.

V.

Licet objectum Fide credendum sit in re complexum, & multiplex, Fides tamen est una ex unico motivo, seu ratione formali credendi.

VI.

Falso prorsus, & inepte dividunt Hæretici Fidem Catholicam in tres illas species, *Fidem Historicam*, *Fidem Miraculorum*, & *Fidem Promissionum*, nedum peccantes in Scripturam, sed etiam in Theologiam, & Logicam.

Digitized by Google

VII.

Inter res Fide Divina credendas aliquis est ordo instituendus non solum dignitatis, habitudinis, & dependentiæ, sed etiam, ut dicunt, *in ratione credibilis*.

VIII.

Statuendum est ergo primum aliquod credibile, ex quo cætera credantur; quin tamen inter credendum opus sit vero aliquo discursu.

IX.

Symbolum Apostolicum omnia continet, quæ ad Fidei nostræ substantiam per se pertinent.

X.

Symbolum Nicænum, seu Constantinopolitanum, aut Patrum fuit sufficiens ad extirpationem errorum, qui exorti fuerant.

XI.

Symbolum Athanasii est ab Ecclesia receptum ad uberiorem Fidei Mysteriorum explanationem.

XII.

Fides quoad substantiam credibilium a principio humani generis ad hæc usque tempora nostra fuit semper eadem.

XIII.

Fides Christi semper fuit explicita in Ecclesia, in Principibus, seu Capitibus legis naturæ, & scriptæ; in communi vero populo fere non fuit usque ad statum Legis Gratiæ.

XIV.

Arcte tenendum est contra Hæreticos, Ecclesiam Christi crevisse, & crescere adhuc posse in Fide explicita quoad aliquas propositiones definitas, aut definiendas.

XV.

Error fuit absurdus Manichæorum, credendum esse nihil, quod ratio non suaserit; a quo non multum distabat ratio sentiendi, quam Abaelardus tenuisse videtur.

XVI.

Humana ratio non potest esse fundamentum, in quo innitatur Christiana Fides.

XVII.

Deus ipse, cui credimus, est prima credendi ratio.

Digitized by Google

X V I I I.

Suprema Dei veritas dicentis, loquentis, testificantis est adæquata ratio, seu totale credendi motivum.

X I X.

Deus est ita verax, non modo ut falli non possit, aut fallere de potentia ordinaria, ut impie Priscilianistæ dixerunt, sed ut nec de potentia absoluta fallere possit quemquam vel per se, vel alium.

X X.

Nulla est possibilis hypothesis, in qua Deus possit non stare promissis.

X X I.

Naturalis cognitio evidens hujus principii: *Deus est prima veritas:* nec est necessaria, nec sufficit ad credendum Fide Divina.

X X I I.

Fieri minime potest, ut quis credat quidquam Fide Divina, quin supremam veritatem supernaturaliter cognoscat.

X X I I I.

Revelatio Divina ad credendum necessaria est obscura, non modo ex parte rei revelatæ non evidenter ostensæ, sed etiam ex parte personæ loquentis, quæ non clare monstratur.

X X I V.

Potest aliquis Deum non videns evidenter cognoscere Deum esse, qui loquitur, non solum per cognitionem naturalem in experimento, signis, & conjecturis fundatam, sed etiam per cognitionem supernaturalem, Deo species supernaturales infundente.

X X V.

Evidentia divini testimonii non fuit necessaria in objecto formali Fidei in Prophetis, Apostolis, & Doctoribus.

X X V I.

Utrum autem Prophetarum aliquis evidentiam habuerit aliquando divini testimonii supernaturalem, & infusam, res nobis incerta est: illud tamen asserimus, Prophetas ex modo loquendi Scripturæ, saltem communiter, fidem habuisse de iis, quæ Deus illis revelabat.

Digitized by Google

XXVII.

Evidentia supernaturalis divini testimonii non videtur componi posse cum obscuritate, & libertate Fidei; ei tamen non repugnat evidentia pure naturalis in experimento, signisque fundata.

XXVIII.

Habitus Fidei potest esse simul cum actu scientiæ circa eamdem rem.

XXIX.

Potest vicissim actus Fidei esse simul cum scientiæ habitu.

XXX.

Si possit intellectus plura, *ut plura*, ut dicunt, cognoscere, potest assensus Fidei esse simul cum assensu naturaliter evidenti de re eadem credita simul, & scita.

XXXI.

Error est Hæreticorum ex sola eorum ortus pertinacia, esse unicuique credendi regulam specialem instinctum, quem cuique Deus infundit, ut credat.

XXXII.

Privata tamen revelatio recte intellecta sufficere potest ad credendum Fide infusa, & theologica, quamvis non esset ex parte materiæ creditæ appellanda *Catholica*.

XXXIII.

Non male inquit Cajetanus, Ecclesiæ auctoritatem, ut specialiter directæ ab Spiritu Sancto, esse ultimum Fidei resolutivum *quoad* nos; at ultimum Fidei resolutivum *in se* est summa Dei veritas dicentis, loquentis, testificantis.

XXXIV.

Revelatio pure mediata, seu virtualis non satis est ad credendum, sufficit autem confusa, & indefinita.

XXXV.

Conclusio theologica non est assensus de Fide, nec habitus theologicus confundendus est cum habitu Fidei: hic enim infusus est, ac supernaturalis; alter vero naturalis, & adquisitus supposita Fide.

XXXVI.

Propositio hæc: *Deus dixit, seu revelavit mysteria Fidei:* non minus est de Fide, quam singuli Fidei nostræ articuli.

XXXVII.

In omni assensu Fidei, quo credimus particulare mysterium, credimus Deum dixisse, & revelasse tale mysterium.

XXXVIII.

Hinc revelatio, locutio, vel dictio Dei non est ratio formalis objecti Fidei ut credita, vel credenda humana Fide, sed ut credibilis, & credenda Fide ipsa divina; nec aliter fieri potest resolutio Fidei in primam veritatem testificantem.

XXXIX.

Revelatio falso existimata *divina* numquam esse potest ratio sufficiens ad credendum Fide divina.

XL.

Ad credendum Fide divina necesse non est, neque fuit unquam necessarium in statu naturæ, aut legis scriptæ, ut objectum singulis immediate a Deo proponeretur ad credendum.

XLI.

Opus est tamen, ut in Fidei propositione divina virtus specialiter interveniat, Deo saltem cor hominis, ut Act. 6. dicitur, aperiente.

XLII.

Non est satis ad sufficientem objecti propositionem, quod Fidei objectum utcumque proponatur, sed necessarium est saltem, ut cum talibus circumstantiis proponatur, quibus reddatur prudenter credibile quod proponitur.

XLIII.

Immo necesse est, ut quod proponitur, fiat evidenter credibile eo evidentiæ genere, ut doctrina contraria non sit ulla ratione prudenti credibilis.

XLIV.

Credibilitas Mysteriorum Fidei Christianæ evidenter ostenditur ex multis credibilitatis motivis, quæ brevitatis causa redigi possunt ad quatuor illa notissima, *qualitatem doctrinæ veræ, puræ, & sanctæ; stupendam Fidei propagationem; multitudinem, & auctoritatem testium doctrinæ nostræ; & magnitudinem, & varietatem miraculorum, quibus sigillata est.*

Digitized by Google

XLV.

Nec Judaismus, nec Paganismus, nec ulla Hæreticorum Secta est ullo modo credibilis, potestve suaderi prudenter ullo ex capite.

XLVI.

Credibilitas Fidei nostræ non est mere humana, sed humana major ex parte, nimirum objecti, seu Dei dicentis.

XLVII.

Nemo potest præbere verum, & perfectum assensum Fidei Christianæ, nisi prius assequatur, vel saltem participet evidentiam credibilitatis. Primum ponitur propter sapientes, qui veram habent evidentiam elicitam ex motivis credibilitatis. Alterum propter rudes, & simplices, qui illam participant, quomodo possunt, in consensione Sapientum, & multitudine Christianorum.

XLVIII.

Recte agunt Missionarii inter Barbaros agentes, qui baptizant instructos pro sua capacitate petentes Baptismum, & dicentes se credere.

XLIX.

Necessaria est in Ecclesia aliqua regula infallibilis Fidei.

L.

Scriptura Sacra est regula infallibilis Fidei.

LI.

Est item Traditio Divina tum doctrinalis, tum moralis, quatenus includit aliquid credendum.

LII.

Ecclesia est regula proxima, viva, & animata nostræ Fidei.

LIII.

Sententia de infallibilitate definitionis dogmaticæ a Summo Pontifice editæ ex Cathedra, ut inquiunt, loquente est antiquior in Gallia.

LIV.

Fuit, & est universalior in Ecclesia Gallicana.

LV.

Fuit semper liberior inter Episcopos, & Doctores Gallicos.

LVI.

Est unica, admissis Cleri Gallicani principiis, cohærentior; & opposita multis scatens incohærentiis.

Digitized by Google

LVII.

Actus Fidei infusæ est assensus firmus immediate elicitus ab intellectu, in auctoritate Dei obscure revelantis omnino fundatus.

LVIII.

Nec tantum est quoad *modum* supernaturalis, ut volunt aliqui rem non satis explicantes, nedum probantes, sed omnino quoad *substantiam*, totamque actus naturam, seu entitatem.

LIX.

Verba illa Pauli: *est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* nedum continent, ut contendit Erasmus, encomium Fidei, sed veram nobis repræsentant definitionem, seu accuratam descriptionem Fidei Christianæ.

LX.

Unus esse potest, & indivisibilis actus, quo credimus Deo, Deum, & in Deum penes diversos respectus, seu tendentias.

LXI.

Actus Fidei semper est verus, & infallibilis, sed obscurus, & inevidens; certus tamen certitudine longe majori, quam sit quævis naturalis certitudo.

LXII.

Fidei actus, quamvis non sit a voluntate illum eliciente, est tamen ab ea ut imperante.

LXIII.

Unde non probatur singularis opinio, in qua fuit Ocham, & Holcoth illud imperium voluntati negantes, nec altera temperata Marsilii necessitatem imperii pro certis tantum casibus admittentis, cum nimirum objectum non est sufficienter propositum.

LXIV.

Actus Fidei moraliter sumptus est voluntarius, & liber tum quoad exercitium, tum quoad specificationem; id quod habet ab actu voluntatis intellectum ad assensum determinante.

LXV.

Voluntatem credendi donum esse Dei, quod sine speciali

Digitized by Google

gratiæ auxilio haberi non potest, Fide certa tenendum contra Semipelagianos.

LXVI.

Ipsum *credere* est honestum, laudabile, & rationi consonum, ut ostendit Augustinus contra Manichæos.

LXVII.

Actus credendi Deo pro nulla unquam hypothesi fieri male potest, etiamsi quis Fidem amplecteretur, ut lucrum perciperet temporale; nam si ex animo Fidem reciperet, actus, quo Fidem ad lucrum referret temporale, esse quidem malus posset, sed Fidem ipsam non vitiaret, tamquam circumstantia actus.

LXVIII.

Judicium de evidenti credibilitate objecti ex motivis credibilitatis formatum utpote naturale non sufficit per se solum, ut voluntas supernaturaliter moveatur ad credendum; id enim in errorem induceret Pelagianorum, ut recte, sapienterque ostendit Molina in concordia q. 14. Disp. 6. in fine, & Disp. 8. in principio.

LXIX.

Est igitur necessaria in intellectu supernaturalis illuminatio, quæ immediate regulet voluntatem credendi supernaturalem. Nec hæc supernaturalis illuminatio actus est Fidei, cum sit ad credendum præparatio, sed est actus ex S. Thoma pertinens *ad donum intellectus* faciens concipere res Fidei sicut oportet.

LXX.

Tam homo, quam Angelus (in via) capax est Fidei.

LXXI.

Animæ purgantes veram habent Fidem, quia licet cœperint a via discedere, cum nondum tamen ad terminum ultimum pervenerint, credere possunt mysteria Fidei, immo & ipsum Purgatorium, quod experimento cognoscunt.

LXXII.

Dæmones credunt, & *contremiscunt*, non tamen Fide divina, vel infusa, sed naturali, habita ex signis, & experimento proprio, vel, ut ait Augustinus, *ex lumine, & efficacia signorum*.

Digitized by Google

LXXIII.

In Beatis Fides esse non potest de potentia ordinaria. Utrum autem inesse illis possit de potentia absoluta, nihil refert, nec in eo video insuperabilem repugnantiam.

LXXIV.

Pia tamen voluntatis affectio (multo magis habitus) esse potest in Beatis paratis, si opus esset, ad captivandum intellectum in obsequium Dei, cum actus ille sit actus virtutis, & nullam imperfectionem includat.

LXXV.

Fides habitualis est habitus infusus intellectum inclinans, & dans ei facultatem supernaturalem ad eliciendum assensum propter auctoritatem primæ veritatis.

LXXVI.

Habitus *volendi* credere est etiam necessarius ad Fidem informem, quia hæc haberi non potest, quin voluntati præstetur facultas supernaturalis ad volendum credere etiam Fide informi.

LXXVII.

Habitus volendi credere, vel pia voluntatis affectio secundum se spectata non est virtus Theologica, cum Deum non attingat immediate, sed medio assensu credendi. Non est religio, cum non respiciat primario cultum: nec obedientia præceptum intendens, aut studiositas, quæ moderatur affectus inter nimiam curiositatem, & negligentiam in affectu sciendi. Non denique justitia, humilitas, temperantia, vel fortitudo, ut ex earum constat objectis formalibus.

LXXVIII.

Sed est virtus quædam moralis specialissima, & a recensitis omnino distincta, quam appellare possumus cum S. Thoma *virtutem captivantem, & moventem intellectum in obsequium Dei*. Ratio est, quia versatur circa assensum supernaturalem intellectus Deo credentis, tamquam propriam materiam, & movetur tamquam ab objecto formali ab *honestate supernaturali*, quæ resplendet in actu credendi supremæ Veritati.

LXXIX.

Habitus Fidei non amittitur per omne peccatum, ut inter alia confinxerunt Hæretici.

LXXX.

Amittitur autem per actum hæresis, qui sit mortale peccatum infidelitatis. Unde mortale faciens, & cum Hæreticis credens sibi non imputari peccatum, Fidem amittit.

EX APPENDICE

AD FIDEM.

I.

Gratiæ gratis datæ, de quibus Paulus I. ad Corinth., sunt quasi instrumenta Fidei subsidiaria. *Sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, genera linguarum, & interpretatio sermonum* dantur a Deo ad congruentem, & perfectam Fidei nostræ explanationem: aliæ vero quatuor *operatio virtutum, gratia sanitatum, prophetia, & discretio spirituum* ad Fidei confirmationem diriguntur.

II.

Hinc referuntur ad actus externos Fidei manifestativos, & ad aliorum potius utilitatem ordinantur, quam ad utilitatem recipientis.

III.

Fides ut gratia gratis data, vel sermo Fidei confert homini etiam simplici, & illitterato ita distincte, ac perfecte res Fidei apprehendere, ut eas docere possit peculiari modo congruenti, simpliciter tamen, & sine ornatu sapientiæ, vel scientiæ.

IV.

Per *sermonem sapientiæ* non solum datur homini, ut possit Fidei doctrinam proponere, & docere congruenter, sed ut possit etiam ex illa multas elicere veritates reconditas, easque audientibus persuadere.

V.

Ad *sermonem scientiæ* pertinet rationibus naturalibus, & appositis exemplis Fidei doctrinam explicare, eaque perspicue solvere, quæ contra illam objiciuntur.

VI.

Tres istæ gratiæ non sunt actus Fidei, qui obscurus est, cum perfectissimo modo fuerint in Christo Domino, in

quo esse non potuit obscuritas Fidei. Consistunt igitur non tam in judicio, vel assensu, quam in apprehensione rerum Fidei, qua sic homo dirigitur ab Spiritu Sancto, ut expedit, ad alios in rebus Fidei convenienter docendos, unde resident in intellectu, ad quem rerum pertinet apprehensio.

VII.

Sed cum ex duobus potissimum pendeat recta locutio tum ex apprehensione, seu intelligentia rerum, tum ex cognitione idiomatis, seu linguæ, per quam proponi debent, *donum linguarum* concedi a Deo solet ad cognitionem vocum, & intelligentiam significationis earum.

VIII.

Licet interdum vox una in certo quodam idiomate a Prædicatoribus prolata varia proveniat ad audientes diversorum idiomatum secundum cujusque linguam peculiarem, vel Angelorum ministerio sonos immutantium, vel alio Divinæ Providentiæ genere; id tamen non est proprie *donum linguarum*, cum non sit aliquid inhærens per modum doni nec in loquente, nec in audiente.

IX.

Donum linguarum proprium, atque perfectum est gratia, per quam confertur homini illud recipienti varias linguas cognoscere, intelligere, ac eloqui. Ad ejus generis donum pertinere videtur idioma ipsum intellectum scribere, quia id necessarium est ad exactam linguæ cognitionem, ejusque perfectum usum, præsertim cum perfecta sint Spiritus Sancti opera.

X.

Interpretatio sermonum non refertur præcise ad idioma, vocisve significationem, sed ad sententiarum, quæ proferuntur, aut scribuntur, sensum vel obscurum, vel difficilem, vel ambiguum, vel similitudinibus, aut parabolis involutum bene assequendum, & aliis congruenter explicandum.

XI.

Operatio virtutum idem esse videtur ac *Fides miraculorum*, quæ penes substantiam non differt a Fide Catholica; addit tamen certam quamdam fiduciam de opere patrando,

Digitized by Google

& probabiliter judicium aliquomodo certum de impetratione miraculi.

XII.

Gratia sanitatum est species quædam contenta sub *operatione virtutum*.

XIII.

Prophetia proprie loquendo est quædam supernaturalis cognitio ex divina revelatione indita, qua res occultissimæ alicui manifestantur, ut aliis eas annuntiet.

XIV.

Cum formale objectum Prophetiæ sit divina veritas aliquid testificans, siquis credat Angelo bono aliquid nomine suo testanti, Propheta non est; multo minus si credat Angelo malo distantia declaranti.

XV.

Verus Propheta non est qui non est omnino certus de veritate rei revelatæ, & de revelatione divina. Nec Pharao prophetavit, aut Nabuchodonosor visiones respicientes, quas non intelligebant; sed potius Joseph, ac Daniel, quibus revelata est illarum intelligentia.

XVI.

Instinctus Propheticus non est vera prophetia, quia licet homo ex instinctu prophetico moveatur ad aliquid dicendum, non tamen cognoscit, seu certus est, se moveri ab Spiritu Sancto.

XVII.

Revelationes factæ Davidi, Moysi, cæterisque Prophetis fuere (saltem regulariter) inevidentes.

XVIII.

Licet actus propheticus puri hominis fundatus in cognitione inevidenti sit in substantia actus Fidei, non tamen omnis actus Fidei est actus propheticus, quia hic fundatur in revelatione immediata, datur ad utilitatem aliorum, & supponit lumen propheticum, quod præter Fidem includit vel infusionem specierum, vel præexistentium combinationem.

XIX.

Prophetia universaliter sumpta non fert secum necessario cognitionem obscuram, cum Christus fuerit verus Prophe-

Digitized by Google

ta per cognitionem evidentem non ex Fide, sed ex scientia infusa provenientem.

XX.

Discretio Spirituum, per quam cordis cogitationes illam recipienti manifestantur, est species quædam Prophetiæ.

ALTERA PARS

DE SPE THEOLOGICA.

I.

Virtus Spei Theologicæ non tantum Visionem, sed Deum etiam ipsum immediate attingit.

II.

Male omnino confundunt Hæretici actum Spei cum Fidei actu, nec est in intellectu Spes, sed in voluntate.

III.

Deus non est objectum formale Spei sub ratione *ardui*, *&* *excedentis* hominis facultatem, nec sub ratione *primi Auctoris*, seu Principii bonorum supernaturalium, sed sub ratione *Summi Boni a nobis amabilis* amore concupiscentiæ quasi in commodum nostrum.

IV.

Spes Christiana non modo elicit actus tendentes in bonum, sed etiam actum timoris, aliosque, quibus malum fugimus.

V.

Operari intuitu retributionis æternæ est actus honestus, laudabilis, & supernaturalis, nec nisi per deliramentum immane, & turpissimam affectationem Lutherani contendunt, id esse contra dignitatem hominis Christiani.

VI.

Spes Christiana est posterior generatione, quam Fides. At non ideo præcedere debet judicium illud absolutum: *Ego Salvator*, ut est Hæreticis in ore (crediderim non esse in corde); sed judicium illud conditionatum, quod præstare potest Fides infusa: *Gratia Dei mihi non deerit*, *ut*, *si velim*, *æternam obtineam Beatitudinem*. Ex quo Tridentinum ait Justis deberi Beatitudinem, *si bene agendo perseveraverint*.

Digitized by Google

VII.

Spes corrumpitur per actum infidelitatis, vel per actum sibi directe contrarium. Nec ullo alio amittitur peccato, ut somniarunt Hæretici justificationem ponentes in fiducia, quam sibi ipsi confingunt.

VIII.

Desperatio est per se mala, & prohibita præcepto Spei. Hinc sicui fieret revelatio de sua æterna damnatione, (quam hypothesim confingere solent aliqui exercitationis causa), non ideo proprie desperaret, licet crederet, se fore damnandum, quia non deberet credere in eam se damnationem incursurum ex defectu misericordiæ divinæ, sed ex propria culpa. Accedit, posse sic statui notitiam revelationis, ut pro signo priori ad illam sperari possit æterna Beatitudo.

IX.

Præsumptio Lutherana, qua quis peccati remissionem speraret sine pœnitentia, seu gloriam sine meritis, non solum est grave peccatum Spem destruens, sed vix potest admitti deliberate sine hæresi. Idem fere judico de Calviniana, qua speciale Dei auxilium speratur ad peccandum.

X.

Præsumptio tamen, ut communiter solet a peccatoribus admitti in actu potius exercito, & virtualiter, quam formaliter, & expresse, non videtur destruere virtutem Spei, quia est peccatum in ordine suo imperfectum.

XI.

Duo hæc sunt accurate distinguenda: *delinquere ex fragilitate ob spem veniæ, & sumere ab spe veniæ occasionem perseverandi in peccato*. Primum esse forsan potest sine præsumptione, secus alterum.

Digitized by Google

PARS ULTIMA

DE CHARITATE.

I.

Deus sic est subjectum, vel objectum materiale Charitatis primarium, atque præcipuum, ut sub hoc etiam comprehendatur omnis rationalis creatura Beatitudinis capax. Nec solum anima, & corpus, sed etiam bona supernaturalia, & naturalia ad Beatitudinem referibilia amari ex Charitate possunt.

II.

Deus *sub ratione boni per se infinite amabilis* est objectum formale, seu motivum immediatum Charitatis.

III.

Datur actus Theologicæ Charitatis simplex, & indivisibilis, quo Deus ob supremam suam dignitatem, & amabilitatem diligitur super omnia. Porro hic actus unicus, & simplex est verissima erga Deum benevolentia, qua ipsi bonum volumus. Quod sane sic est in Scriptura fundatum, expressum in Patribus, Sanctorum gestis, & dictis comprobatum, Christianis totius Orbis institutionibus declaratum, Fidelium omnium firmatum praxi, & ubicumque retentum, atque ita fulcitum principiis, rationibusque theologicis, & philosophicis, ut oppositum sustineri non posse videatur.

IV.

Ad virtutem Charitatis non modo pertinent actus amoris propter Deum, sed etiam desiderium gloriæ Dei, & gaudium de bonis Dei tum intrinsecis, tum extrinsecis.

V.

Sicut Charitas inclinat hominem ad diligendum supernaturaliter Deum plusquam se, sic etiam voluntas magis inclinatur ad Dei, quam ad sui dilectionem. Unde ordo Charitatis non est contra inclinationem naturæ.

VI.

Amor Dei, & amor proximi propter Deum sunt ejusdem speciei, & possunt esse unus numero actus.

Digitized by Google

VII.

Charitas est propria virtus amicitiæ inter Deum, & hominem.

VIII.

Eadem est Charitas & in via, & in Patria.

IX.

Potest Charitas intensior esse in aliquo viatore, quam in aliquo comprehensore.

X.

Nullus est habitus veræ amicitiæ adquisitus inter Deum, & hominem.

VM1 1532651

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

QUÆ IN DISSERTATIONE CONTINENTUR.

PRÆFATIO. *Pag.* 7.

CAPUT I.

Quid ſit ex Cathedra Pontificem definire. 9.

CAPUT II.

Statuitur omnimoda Summi Pontificis ex Cathedra loquentis infallibilitas. 12.

CAPUT III.

Quid tandem auctoritatis habeant Comitia Epiſcoporum Galliæ, quæ anno 1682. *celebrata ſunt.* 17.

CAPUT IV.

Sententia arcte tenens Pontificis inerrantiam antiquior eſt in Eccleſia Gallicana. 21.

CAPUT V.

Memorata infallibilitatis ſententia non modo fuit antiquior in Eccleſia Gallicana, ſed eſt etiam univerſalis in Clero, & fuit univerſalior in Academia Pariſienſi. 33.

CAPUT VI.

Sententia de inerrantia Pontificis fuit, & eſt liberior in Gallia. 44.

CAPUT VII.

Sententia communis fuit, & eſt unica cohærentior apud Gallos; oppoſita vero multis ſcatens incohærentiis. 56.

CAPUT VIII.

An ſit habenda pro germano Boſſuetii fœtu Defenſio Declarationis Cleri Gallicani ann. 1682. 71.

CAPUT IX.

Proponitur, & nullum esse oſtenditur Pontificiæ fallibilitatis argumentum ex Concilio Conſtantienſi deſumptum. 84.

CAPUT X.

Alterum argumentum de diſſidio inter Stephanum, & Cyprianum ſuper Baptiſmo ab Hæreticis collato. 92.

CAPUT XI.

Argumentum ex lapſu Liberii depromptum. 97.

CAPUT XII.

Quid ſentiendum de Honorio ſit. 102.

CAPUT XIII.

De prætenſis aliorum Pontificum errationibus. 108.

CAPUT XIV.

De libertatibus Cleri Gallicani. 112.

CAPUT XV.

Explicantur alia levioris momenti. 120.

CAPUT XVI.

Quam ſit Hæreticis pergrata Defenſio Declarationis Gallicanæ. 129.

Digitized by Google

Die 5. Augusti 1794.
IMPRIMATUR.
Vitalis Can. Loschi Delegat. Generalis.

Die 21. Julii 1794.
IMPRIMATUR.
F. Vincentius Passerini Vic. Gen.
S. Off. Parmæ.

Die 26. Augusti 1794.
VIDIT
Advoc. Petrus Fainardi R. Libror. Procens.
& in R. Univ. Jur. Patrii Antecessor.

IMPRIMATUR.
Præses, & Magiſtrat. Reformator.

ERRATA CORRIGE

Pag.	Linea	Errata	Corrige
9.	18.	alteriusque	alterinsve
14.	25.	*Hypostases*	*tres Hypostases*
Ibid.	37.	Joanne	Joann.
25.	34.	tamen	tandem
26.	17.	substractionem	subtractionem
Ibid.	29.	Reportatibus	Reportatis
29.	11.	*errores*	*errorum*
30.	2.	quondam	quandam
39.	11.	demonstrabit	demonstravit
45.	25.	Germani	germani
58.	9.	consentientes	non consentientes
65.	23.	sicut ut	sic ut
66.	7.	*vindicandam*	*vindicanda*
74.	35.	majus	nec majus
103.	19.	sequentem	exequentem
113.	5.	obstrudere	obtrudere
Ibid.	22.	cavillare	cavillari
116.	28.	Languet	Langlet
117.	27.	*seu*	*ceu*
118.	4.	nefarium	necessarium
119.	20.	ex Emin. Card.	ut v. g. ex Emin. Card.
123.	32.	Episcoporum	Episcopos
128.	34.	inquit	inquit alibi

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

153.
7.
14.

Digitized by Google